FR. LEONIS CARMELITAE RHEDONENSIS EPISTOLARVM

Titulus Secundus.

A D

AD PROCERES,

ET ERVDITOS SECVLI.



ROMÆ Typis Iacobi Dragondelli.

Cum Licentia, Approbatione, & Privilegio.

ANNO MDCLXI.

EPISTOLARVM
Titulus Secundus.

AD PROCERES,
ET ERVDITOS SECVLI.

LVDOVICO XIII.
REGI GALLIARVM
CHRISTIANISSIMO.

ENERGVM IVLIODVN. I

IVLIODVNVM, me contuli, LVDOVICE REX CHRISTIANISSIME, grande tuo jussu spectaculum pro meæ modulo tenuitatis exploraturus. Incurrit in oculos, non sine animi horrore, Inferni ipsius funesta imago. Ac licet ad ejusmodi insueta

'REGI CHRISTIANISSIMO

restitare solemne mihi sit, & debet esse nostri similibus saltem in principio, nunquam tamen præsentes illic Dæmones negare sustinui. Vetabat id quidem vel sola prudentia; cui persuaderi de facili minimè potest *tot Puellas* nobilitate, ætate, honestate, virtute conspicuas fabulam agere, & pessimam sibi ipsis histrioniam ludere. Tuis itaque imperijs, REX, obtemperavi, optimo, notissimoque annuente Præsule. Nam omnis curiositas in his summè interdicta, & non vocatum se perperam ingerere semper ferale fuit.

II Svb vtrisque igitur auspicijs, etiam & meo Provincialis officio defungens, non ignaviter aut otiosè scrutatus sum quantum potui vniversa. Quia verò priusquam Lutetiâ discederem, imperavit tua Majestas; ad illam rescribo quâ debeo tum fidelitate, tum sinceritate. Scribo autem idiomate Ecclesiæ Romanæ, quia ad eius Primogenitum: & historiam quo planè modo Iulioduni peracta, fuit referri in Aula pretium est. Latinitatem igitur, eam-

que non de orario, adhibui tunc in cautelam insertis; in eundem finem, Græcis quamplurimis. Quare ne lectio Commentarij V.M. fiat operosior, reddo & Gallicè Epistolam; quâ fruetur V.M. dum Latinam, cui libuerit, accuratiùs enucleandam demandabit. LVDOVIC. XIII.

III

POSTRIDIE mei in Vrbem advētus, adfui exorcismo; quo in nostra Æde Sacra exagitabatur Astarotus, qui totius Princeps tragœdiæ perhibetur. Tres inibi horas perspexi meis oculis, vexari supramodum Puellam laicam; cui nomen Elisabethæ. Lymphatam, & è Bacchantibus vnam facilè dixissem; vsqueadeo succutiebatur tota corporis compages, os rabidum, torvi oculi, facies lurida & effera, lingua præsertim exerta tumore horrifico. Interea animus acer, ingenium velox: responsa peracuta, erudita; longè supra sortem Puellæ rudis, & imperitæ. Tria in ceteris observavi pari sensu pietatis, & admirationis.

I. EIVLATVS minùs horrendi, quàm miserandi. Voco ego *lamenta* tristissi-

REGI CHRISTIANISS.

ma, lacrymaſque amariſſimas: quibus deflebatur gloriæ jactura, ſupplicium ſuperbiæ Angelicæ in Inferno ſempiternum, aliaque id genus. Fateor, o REX, funeſtâ eâ hypotypoſi doceri Rhetoricam; cui nemo non cedat, niſi ſit pluſquam *marpeſia cautes.*

V

II. Obſtupui deinde ad ſtupendam illam *Communionem*, quâ nihil ad fidem de Euchariſtia potentiùs: adque Sacramenti reverentiam validius, vel cogitando fingi poteſt. Hærebat per horam pluſquam integram, ſacra Hoſtia labro Puellæ inferiori. Illa interim reſupina, & arcuata, ita vt ſinciput talos tangeret, naſi globus lamberet pavimentum: vertit ſe ad quatuor partes Sacelli, ſpecie horrenda. Sacrum interea pignus ratione ineffabili labio deſſicatiſſimo affixum, non ſolùm non decidit, quod debebat põdere naturali, & motu citiſſimo; ſed nec tetigit humum, quam continuò Hoſtia allambebat. Prodigium vix credat qui non viderit, videt autem nemo niſi pavidus & ſtupens. Totuſ-

que ego horrui cernens arrectam in pedes Puellam caput, Hostiâ sic per-punctitium labio inherente, movere concutere, agitare quaquà versus; egestis etiam è pectore non tam flatibus, quam turbinibus violentissimis. LVDOVIC. XIII.

III. Crevit horror, stuporque cùm aspexi os & fauces Puellæ summè aridas: moxque ad Sacerdotis imperium, ex imo stomacho ter remeare Hostiam sic convolutam, vt facilè evolveretur. VI

PERENDIE tenuit me R. P. *Surini* è Societate IESV opera, Monialium Vrsulinarum *Priorissæ* non segniter insudans. Post nonnulla, mihi non satis probata, inania & admodum ludicra; tria itentidem sese obtulere, observatu dignissima. VII

I. FATIGATVS exorcismo Dæmon, quem Isacaronem appellant, coactus tandem Divinam adoravit Eucharistiam. Sed o DEVS, & Cœlites! quo ritu, quàm horrendo, quàm tremendo. Miraculum nullus sermo explicat, nullus penicillus adumbret. VIII

II. Inter impactas corpori voluta- IX

REGI CHRISTIANISS. tiones, quas qui non vidit, nequit profecto imaginari; Puella, cui mediocris admodum statura, sedens crura sic devaricabat; vt ego, admonente Sacerdote, spatium inter vtrumque pedem dimetiens, repererim octo fermè Pedes adæquare.

X III. Prostratæ ac resupinæ vidi, non impavidus, brachia & manus quà humeris junguntur luxari vltro, & leniter volvi suis in vertebris; donec juncti extiterunt digiti, dorsum retro, vt solent ante pectus. Mox & paulatim redire in situm naturalem. Doceri id arte & vsu à pluribus intellexi, vidique ipsemet à Viro Principe factitari. Sed quãdo, vbi, quomodo ejusmodi Agyrtarum artibus edocta sit Puella nobilis atque Monialis, nondum potui divinare.

XI PRIDIE mei ex Vrbe discessus, properabam enim, vocor in Conventus nostri Templum; eandem, de qua mox ante, Elizabetam allocuturus. Sed fermè inani conatu, haud tamen infelici: Avebat Puella, conscientiam mihi

confidentiùs aperire. Præpediebat Dæmon mutus. Hunc premo, vrgeo, jubeo vel Puellæ linguam relinquat expeditam: vel ipse nudè & præcisè, palam tamen & cuncto audiente Cœtu non mediocri, responderet mihi vnum quid Græcè interroganti. Quàm optarim, AVGVSTE, quotquot minùs quàm Tua Majestas erga DEIPARAM afficiuntur, testes eorum; quæ toto *quinque horarum* spatio mecum intuiti sunt testes & numero, & dignitate omni exceptione majores.

LVDOVICO XIII.

Singula recensere sigillatim non vacat, apud Tuam Majestatem, essetque profecto infinitum. Vnum interim juvat præmonere, ex eo facto crevisse plurimùm & meæ professionis Carmeliticæ affectum, & adversus Sanctissimam Virginem amorem tenerrimum.

SIC igitur exorsus sum Græco ser- XII
mone. *Ἄκουε, κατάρατον πνεῦμα ἐγώ εἴπερ ἀνάξιος ἐξ αὐθεντίας τῆς Ἐκκλησίας ἧς μετέχω, προστάσσω καὶ κελεύω ὡς μοι εἰπῆς τὸ ὄνομα τῆς Θεοτόκου.* Audi Spiritus nequã, ergo tametsi indignus, ex cõmissa mihi

autoritate Ecclesiæ jubeo & impero,

vt dicas mihi *nomen* Genitricis DEI. A-
bierunt horæ omninò quinque quibus
verbum à Dæmone, vel à Puella vix
vllum: sed stupendi subinde clamores,
ejulatus, lamenta: fugæ, diverticula,
motus & agitationes vltra fidem.

Interea quoniam fixum animo erat,
XIII cavere à versura: & hoc vnicum, si
permitteret Numen, ab Energumena
extorquere; vrgebam continuò preci-
bus ad DEVM, ad Beatam, ad Divos:
fatigabam exorcismis frequentibus, ex
ritu Ecclesiæ. Nec sinebam vllatenus,
quod sæpè conabatur, vel ejulatus mi-
serabiles, vel gestus horrendos, vel re-
sponsa, dictaque subtilissima promere.
Nihil quippe magis adnititur nequam
ille Spiritus, quàm Sacrdotis animum
& cōsilium, Spectantium oculos & au-
res deflectere ad curiosa, ad pulchra:
immò, saltem specie tenus, ad pia &
erudita.

Nihil ergo aliud admiscens ego,
XIV aut illi permittens, premo dumtaxat;
καὶ πάλιν προςάσσω σοι ἐξ αὐθεντίας τοῦ θεοῦ

ζῶντος, ὑπακούειν ταῖς προστάξεσι τῆς Ἐκ-κλησίας, καὶ ἐπερωτήσει μου θετικῶς ἀπο-κρίνεσθαι. Et iterum jubeo tibi ex au-toritate DEI viventis, vt obedias im-perijs Ecclesiæ, & mihi interroganti præcisè ac positivè respondeas. Quos tunc lusus nō lusit Agyrtes ille, circu-lator tartareus. Fugit omninò, quater aut quinquies; Socijs, vt solet in ve-natu feræ, in abeuntis locum subroga-tis. Puellæ gravis sopor immissus, medium circiter horæ letargicam te-nuit. LVDOVICO XIII.

DVM acriùs insurgo & insisto, qui huic operi assueverat è nostris Sacer- XV
dos; jubet Puellæ alto somno obrutæ, vt cantet hymnum *Ave Maris Stella*, mox deinde *Tantum ergo Sacramentum*. Indilatè obaudit, repetitque tertiò, quod fuerat imperatum. Vnde ingens mihi revera stupor, simul ac semel cer-nere & audire quæ Empireo juxta & Tartaro propria. Hinc voce spissa, rauca, & horrenda audiebatur Demon plorans, ejulans, vociferans, stridens, ringens; motusque ciens in Puella, ad

*REGI CHRISTIANISS.

Spectantium terrorem. Inde, ceu fuissent revera duo, audiebatur & Puella distinctissimè voce suavi, piaque sacros, quos dixi Hymnos decantans.

Immotus ego ad vtrumque, perurgebam satisfaceret Dæmon exertè & disertè, iteratæ à me interrogationi. Tum ille frendens & excandescens, erupit, Gallo tamen idiomate, in iniuria & scommata. Heus tu, Leo tartareus, audax & improbus, quò demum nova tua eloquentia? Dic porro, quid me sollicitas, canis, &c. Nam & *canis* opprobrio amant isti, Homines lacescere. Nomen, nomen; tu-ne verò ignoras, & iam respondi Virgo est. Tum subjungit, prout vela quærens in synonymis; est Mater Verbi, est tua mater, & soror tua; quid vltra requiris Leo Diabole? &c. Insto, veritusque ne inter cantum & strepitum, nos omnes iam defatigatissimos ludificaret, respõso evanescente, & illo vt solet se proripiente, subiungo, ὐκ αἰτῶ περιφράσεις, καὶ παραφρασεις. κελεύω ἐν ὀνόματι τοῦ θεοῦ, ὡς μοι εἰπῆς τὸ ὄνομα τὸ κύριον,

ἴδιον· καὶ προσωπικὸν τῆς μητρὸς τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου, Ἰησοῦ Χριστοῦ. Non quæro periphrases, & paraphrases. Iubeo in nomine DEI, vt mihi dicas nomen proprium, peculiare, personale Mariæ Matris Dei & Virginis, IESV CHRISTI. Reluctāti porrò alte ingemino πρὸς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς αὐτοῦ· καὶ ἐπ' αὐξήσει τῶν ὀδυρμάτων σου, προστάσσω σοὶ λέγειν ἀφελῶς, σαφῶς διαρρήδην ἄνευ κυλισμάτων καὶ αἰνιγμάτων, ὥστε πάντα ἀκούειν τοὺς παρόντας, τὸ ὄνομα κύριον, μὴ ἄλλον, τῆς Θεοτικοῦ. Et in nomine FILII DEI, & Patris illius: atque sub augmento tuarũ pœnarum & tormentorum, præcipio tibi vt dicas expressè, clarè, distinctè: citra ambages, & sine enigmatis, ita vt omnes qui hîc adsunt audiant; nomen proprium, nullum aliud, Matris DEI.

LVDOVICO XIII.

POSTREMO tandem edomitus Kacodæmon, Puellam erexit in pedes: vultuque & gestu ad modestiàm de repente composito, flexisque genibus coram majori Altari, quò ducta fuerat vt cogeretur vi Hostiæ illic ante aliquot menses miraculosæ; alta voce, distin-

REGI CHRISTIANISS.

ctâ & articulatâ repetijt ; *Maria, Maria*. Protinùs præ admiratione & amore, soluti in lacrymas quotquot aderant circiter quinquaginta ; quos inter obvij fortè fortuna æquestris Militiæ turba non ignobilis, Priorque cum Socio Augustinianorum ex agro Pictavensi vicino. Sed & illicò Puella in spiras & gyros contorta cum diris vexationibus, clamoribusque horrendis ; ex superiori gradu devolvitur in infimum, volutabaturque in spatio ad clatrum vacuo.

XVII Stupebant omnes, lacrymabantur, precabantur. Instabam ego majorem in modum, Astharot infamis Apostata, *in nomine* DEI *Omnipotentis exesto maledicte, egredere maledicte, abi maledicte in tartareas flammas*. Incalescebat pugna per horæ quadrantem, sanè visenda & stupenda. Dum iterum atque iterum perurgeo, *abi, abi, abi maledicte Astarot in flammas æternas, nunquam in Puellam hanc reversurus*. Mox dictu mirum! ad hæc verba vltima, Puellam Dæmon erexit in pedes. Tum totus tumens arro-

ganti gestu, gressuque insolenti, sæpiùs quoque pejerans, *per* DEVM, *per mortem* DEI, *per corpus* DEI, *nec dum tempus est abeundi*. Actutum reddita sibi Puella, mansit ita composita: & tanta vultus, pulsus, totiusque corporis temperie, post operosas illas quinque horas, ac si post quietissimam noctem evigilaret. LVDOVICO XIII.

XVIII

QVI ab officio solebat Exorcismos celebrare, cæpit Dæmoni insultare, irridere; monuitque me, ita omninò actitandum. Silebam nihilominus, spectabamque, dum infamis lurco per mille blasphemias partim furens, partim subsannans, ait Exorcistæ; si tu latinè idem quod iste nomen rogasses, nihil moratus edixissem; tametsi canis istius nomen perhorrescam, quo dirè discrucior. Tum vbi vidi ad me conversum, tuitiusque in os intuentem subiunxi Latino sermone satis diffuso, *cur non liberam reliquisti Puellam, vt mihi per horæ medium loqueretur, suaque secreta animi aperiret? Ideo namque accesseram. Stulti vos disseminastis priusquam huc acce-*

derem, me non credere hanc tragœdiam? Veni præparatus & iussus, vt Puellarum strophas & artes dignoscerem. Et ab hac saltem Ecclesia, pro mei autoritate officij, tot funestos ludos eliminarem. Cur igitur non iuvistis consilium meum, vt tota Iulio-dunensis historia in fabulam abiret, & vanesceret in fumum.

REGI CHRISTIANISS.

XIX Excandescens Apostata Angelus, gressuque thrasonico incedens, subinde reponebat. Nequaquam per DEVM, tua te respiciebat interrogatio. Vafer Leo potiùs vulpes, animum non prodis: aliud cogitas, aliud fingis. Consilium tuum, canis Monache, pernoveram. Gestiebas scilicet, cunctis renunciare: Lutetiæ, etiam & in Aula, propalare me ad tua græcanica respondisse. Spernebam & te, & tuum Ellinismum. Sed majoris, & potentioris imperio parere sum adactus.

Ad hæc ego tantisper, modestè tamen, insultans; disce, aio, tua tormenta non ampliùs augere superbâ renitentiâ. Ita planè, tuam impotentiam enarrabo toti Galliæ, narrabo Lutetiæ:

propalabo in aula, & in Regijs auribus prædicabo. His dum magis ac magis incandescit Dæmon, recedo in cellam. LVDOVICO XIII.

IVSSVS verò postridie Astarothus ab Exorcista, *respondit* nō dificulter. I. Dæmonum versutiâ divulgatam in vrbe & vicinia famam, me aliud non credere Iulioduni, quàm meram imposturã & accuratam fabulam. Allaborasse propterea vt ludos dumtaxat luderent, nihil vltra. Sed Virginis imperio coercitos, & coactos. II. Cavisse imprimis, Superiorũ inter Dæmones jussu, Puellas mecum agerent plena libertate. III. Passum se dira, horis illis pomeridianis; tum ab Hostia illic miraculosè asservata, tum pronunciatione nominis *Mariæ*. IV. Nihil intentatum vt non responderent clarè & distinctè, quia res illis erat permagni momenti.

V. Dæmonibus multò esse operosiùs verbis præcisis, quàm signis respondere; vbi præsertim ignoto Puellæ idiomate agit Exorcista, quoniam nulla ad id in phantasiæ imaginibus, nedum in

REGI CHRISTIANISS. vocis organis idoneitate, totum respõdendi negotium & onus Dæmoni incumbit; cui longè faciliùs est, cetera corporis membra vehementiùs agitare. VI. Nihil validius, Dæmoniq; violentius, quàm quod adigebam præcisè ad proprium nomen. Itâque vrgebam acriter, vt nullo pacto permitterem vel quiescere, vel alio divertere: vel gesticulari, vel aliud quidquam moliri. Quid? Ergo vult nos vapulare, nec tamen sinit aut gemere, aut conqueri. Rem hactenus inauditam!

XXI HABES demum, OPTIME PRINCEPS, paucis cõtractam historiam, cujus ego tuo jussu testis fui oculatus: sumque modò relator, DEVS scit quod nihil mentior, fidelissimus. Iudicium plenarium majori solio à me relinquitur. Si quæ illis quotidianis Exorcismis intercurrunt fortassis non vsquequaquè probanda, nihil idcirco veritati præjudicatur. Addo solùm omnibus hîc à me visis, auditisque, nominatim à Præsule Pictaviensi meritissimo; roboratam admodum sententiam meam super Ener-

gumenis, totaque Dæmonomania: cuius examini dudum nõ vulgarem operam me, ex Majorum nutu, impendisse & tuæ Majestati non dissimulavi, tum, cùm Lutetiâ digredienti hoc mihi examen injunxit.

LVDOVICO XIII.

Quia porro indicavit etiã Tua Majestas, hanc meam qualemcumque Relationem selectorum ex alma *Sorbona* Theologorum trutinæ subijciendam, de quo lætor sanè plurimum; sequentes *Obser vationes* attexere nõ esse vltra, extra-vepropositum nemo ejusmodi rerum difficillimarum peritus & sincerus inficiabitur: patieturque Tua Majestas, ad alios erudiendos, examinari.



GALLIARVM

Regi Christianissimo

LVDOVICO XIV.

ANNI REGII CONCIONES. XIII

MAIESTATI Tuæ accedo, REX SERENISSIME, debita propemodũ Numini veneratione, cuius tu nobis autoritatem & imperium repræsentas. Verùm & cum ea quoque ingenua libertate quæ decet DEI Sermonem, veritatemque Evangelij. Debent enim vero divini verbi dispensatores non solùm Multitudini prædicare, sed Principibus quoque ijsque maximè, vt celi oracula & ipsi velut DEI præcones Mortalibus pronuncient. Sunt scilicet Concionatores in Ecclesia Oratores & Legati supremi illius Dynastæ, per quẽ Reges regnant; ab eo missi vt suas leges publicent Generi-Humano, suaque

præcepta propalent terrarum vbiquè. LVDOVICO XIV.
Qui Principes illos admittũt benignè, clementerque audiunt; docent profectò luculenter, quanta ſint Religione erga ipſum Præpotentem à quo ſciunt delegatos. Neque contemnuntur vnquam, ſine deſpectu Ipſiuſmet; cujus vices ſuſtinent, explicantque conſilia.

HABENT autẽ in mandatis rem omnium pretioſiſſimam, ſummique momenti. Aliud agunt nihil quàm de animarum ſalute, nec alia tractant negotia quàm æternitatis. Pari tam autoritate, quàm obligatione incumbit illis Orbis cenſura: Hominumque emendatio, pro quorum ſalute DEO vadimonium præſtitere. Nulli propterea operæ, vigilijs nullis, nullis laboribus parcere debent, vt Nationes reducãt à via ſcelerum latiſſima, quâ turmatim itur ad perditionem. Os Concionatorum, Arca fœderis eſt. In illorum labijs ſedet ſcientia DEI, ſalutis magiſtra: flagitiorum expiatrix, veniæ conciliatrix & indulgentiæ. Angeli ſunt abs CHRISTO magni conſilij Angelo ſubdelega- XXIV

REGI CHRISTIANISS.

ti, in ministerium salutis. Feciales primi, per Incarnationem, Adventus: Interpretes secundi, qui Sanctorum inaugurationi impenditur; prodromi demum & præcursores vltimi, in mundi & sæculorum fine vsque adeo formidandi. Vna illis opera, laborq; assiduus montium juga complanare, vallium concava æquare: mentes Hominum perluminare, voluntates inflammare: mendacia & crimina expungere, erigere triũphos veritati ac virtuti; ne multa, præparare, quod Sacræ edicunt Tabulæ, Plebem perfectam in gratiæ paratura & cultu virtutum præstantissimarum.

XV Essent licet terræ filij & ex Plebe vilissima, eodem animantur spiritu quo divino officio cooptantur. Ornatque eos propterea qui eligit, idoneis virtutibus, vt constanter Principes alloquãtur: moneantque rerum in Orbe Dominos quantũ onus sustineant, & quàm grave sit põdus diadematum. Illapsos in hos Apostolorum successores è celo ignis, quo consecrantur; illorum animos defœcat, labia emundat, sermones

purificat. Zelo ardent, sed quem temperat scientia prudens: loquuntur firmiter, sed reverenter; discreta illis libertas est, non audax aut insolens temeritas. Primi scilicet debitæ Maiestatibus reverentiæ dant exempla, necessariamque illis generositatem mitigat Christianæ modestiæ suavitudo. LVDOVICO XIV.

XVI

FACIT verò celestis eiusmodi mixtura, vt nemini Principum non volupe sit Eloquentes auscultare. At Christiani, probique, qualem se jam spondet Majestas Tua, REX LODCICE, celi Oratores audiunt cum vsura: Magnates quippe nõ solùm instruunt Conciones, formantque ad virtutem: sed publici quoque exempli, quod Populis debent, pars est non vltima. Eoque præcipuè documento augent CHRISTI gloriam, Crucisque trophæa. Neque profecto hahet Princeps Christianus, quo suam luculentiùs Religionem approbet, cui nomen dedit in baptismo: quamque novo Sacramento professus est, in sua inauguratione. In rebus Regni occupatissimis parum vacat divinis, huma-

REGI CHRISTIANISS.

nisque erudiri Disciplinis. Quod oculis, proprioque marte non addiscunt; per aures, alienoque studio in animum illabitur. Nulla Concio est quæ non sit lectio minimè laboriosa, maximi verò tum oblectamenti, tum emolumenti; vt simul condiscant & salutem curare, & Imperium administrare. Subest quoque politica vtilitas non parva, nec vulgaris. Intromittunt se scilicet per aures regias vnà cum fide, Sciētia junctim & Eloquentia. Audiunt è sacro suggestu explicari, commendarique Numinis majestatem: hanc infra, Regum dignitatem, officiaque tandem Subditorum. Docentur ab Ecclesiaste idoneo DEVM colere vt patrem, Ecclesiam revereri ceu matrem, Populos habere loco liberorum. Monentur sceptro & throno fragilius nihil, nec quicquam habere firmitatis nisi à Religione & probitate. Opportunè inculcat vir Apostolicus Principes non magis esse Regni sui patronos, quàm Religionis Protectores. Nec feliciùs Hominum animis dominari, quam cùm

purã conſcientiâ ipſi ſubdunt ſe Regi Regum. Vitam Principis concentum eſſe dignitatis perinde & officij. Ac ne vlla perfectiſſimã harmoniã diſſonantia corrumpat, inſinuatur paſſim reverẽtia adverſus divina ſine fuco & affectatione. Zelus erga res omnes Eccleſiæ purus, ardens, generoſus. Virtus ſolida, & ſincera, quæ alijs quoque præluceat; affectus demum in Subditos vt ſentiant vtriq; amore & feliciùs & ſecuriùs regnari, quàm metu & timore. LVDOVICO XIV.

XVII Quidni Principibus gratum fuerit, Subditos nanciſci arcanorum Summi Imperatoris DEI conſcios & Conſiliarios? Hinc ſpes aſſurgit non minima, vt benè ſemper cõveniat DEO, & Regi. Quare nõ ſinunt modò, ſed & gaudent, amantque ab illis celi Nuncijs, CHRISTIQVE legatis Oratoribus moneri de probis & improbis: diſſuaderi ab inverecundis, vrgeri ad virtutem. Nec dedignantur reminiſci, tali nomenclatore, homines ſe etiã eſſe dum triumphant. Non ita fortunatos, qui n ſæpè rotâ revolutâ devolvantur ipſi in ex-

tremas calamitates. Regium decus quò splendidiùs, eo fragiliùs. Nascendi & denascendi fato expungi totum illum apparatum, quo vita Regum, Subditorumque discriminatur. Corpus illis ex eadem quâ cæteris fæce & limo, sanguinem non alterius coloris: mentem ejusdem conditionis, & pretij. Visos sæpè potentissimos Reges, turpissimorũ flagitiorum mancipia: plebeios è contra vulgares & manticarios, regijs virtutibus pollere. Quid addam plura? Nihil Regibus & Monarchis esse debere antiquiùs, quàm vitam instituere qualem optarent in vltima periodo; dignam videlicet qui adoptentur ab Agno immaculato, cum CHISTO regnaturi in perpetuas æternitates.

REGI CHRISTIANISS.

XVIII GRANDIA hæc sunt, eaque verissima documenta tibi, LUDOICE ADEO DATE, paulatim addiscenda. Facis verò id non oscitanter, exemplo Sancti illius Ludovici ter-magni; cujus cum nomine, sceptro & corona, propriam debes hæreditatem cernere, Virtutes verè regias. Istis nimirum elementis, vi-

tæ tuæ primordia sanctè erudivit Regina-Mater; nulli in suo sexu, suoque gradu nisi sibi comparanda. Hæ sunt artes illæ & lenocinia, quibus adolescẽs (Alumnus scilicet Magni-Mazarini) nostros furaris affectus, nostram occupas venerationem. Temperata infra DEVM majestate, illum, dum te aspicimus, in sua imagine contemplamur. Faciuntque orientes vitæ tuæ radij, virtutibus heroicis illustres; vt animis plus imperites quàm corporibus & fortunis: Regem optatum habeamus, magis adhuc quàm natum; tibique minùs nostra omnia, quàm nos ipsos consecremus. Veneramur te, LVDOVICE, & toto affectu complectimur, vt nostrũ revera Theodosium. Iamque hæreditario jure Principi, gaudemus per tot gratiæ miracula: nostraque spontanea electione, velut Domino mancipari. Iam præter regiæ nativitatis titulos, primæque ætatis auspicia; subsecuta à majoritate felicitas, tot propè triumphis quot mensibus exornata, hanc à nobis, cunctisque exigit confessionem;

LVDOVICO XIV.

veriſſimam ſanè, & ab omni procul adu-
REGI CHRISTIANISS. latione. Habet Te Gallia ſuum, vt di-
xi, Theodoſium. Sperat Europa futu-
rum proximè Arbitrum pacis optatiſ-
ſimæ. Victorem Orbis vniverſus aut
optat, aut timet.

Tot ac tanta celi munera exigunt à Te, FELICISSIME PRINCEPS, gratitudinem vſquequaquè regiam. Autorem DEVM debes credere, agnoſcere, colere, timere, amare; quippe quem eas tibi dotes elargitum dicerem profuſiſſimè, niſi quod beneficia Patris erga Primogenitum modum neſciunt.

XIX ID verò ipſum eſt, REX PEROPTIME, quod pro virili conatus ſum tuam edocere Majeſtatem. Præſenſi ante annos quindecim, eandem filio Ludovici XII. erga ſacra DEI Eloquia mentem & affectum, qualem habuit pater ſincerè Chriſtianiſſimus. Revocatus igitur nutu tuo nuperos inter publicos tumultus, ad vetus Concionatoris in Aula munus & officium; poſtulavi imprimis à DEO, illud vt obirem pro mea tenuitate, quod feci ſemper, ſincerè, liberè:

nec alio prorsus intuitu, quàm meæ cōscientiæ, salutis tuæ, ædificationis publicæ. Nihil veritus, pro Rege locutus sum, vt oportuit pro Christo Domini. Regiæ autoritatis partes suscepi, quia divinæ. Palamque profiteri non erubui, Populorum obeditionem, per ipsius conscientiæ leges, esse oppigmeratam. Si interea egi in corruptelas conditionum & ordinum, personis semper illibatis; argumentum istud est evidentissimum eum securè & intrepidè loqui, qui cum DEO & pro DEO loquitur: quique veritati, ac virtuti patrocinatur.

Nunc porro prodit in publicum, fa- XX
ventibus typis, noster hic ANNVS REGIVS Concionum; quas commendabit saltem materiæ diversitas, varia rerum momenta, eventusque singulares. Vt nimirum intelligat tandem V.M. quod pulchrè SCRIPTVM est ab Augustino; tribus omninò modis, CHRISTVM Tuæ Majestati annunciari. Sermone, in Concionibus: Sacramento, in Eucharistia; Epistola, in hacce Nuncupatoria,

REGI CHRISTIANISS.

Concionibus præliminari; quas sesqui annum, & ampliùs Tua mihi Majestas imperavit tot inter casus diversissimos.

OPVS qualecumque illud sit, Tuæ pedibus Majestats advolvo, REX; fœtũ non otiosæ lucubrationis, pignusque publicum meæ servitutis semper fidelissimæ, æternumque duraturæ. Tuli illud priùs munusculum ad Altare; vbi quotidiè faciens, suetam olim Majorum precationem repeto; quam & V. M. raró omittere pretium erit, & tui Regni. ORAMVS PRO IMPERATORE; VITAM ILLI PROLIXAM, IMPERIVM SECVRVM: DOMVM TVTAM, EXERCITVS FORTES, SENATVM FIDELEM, POPVLVM PROBVM, ORBEM QVIETVM; ET QVAECVMQVE CAESARIS, ET HOMINIS VOTA SVNT. Verbo me absolvam. V. M. apprecor quidquid potest, quidquid debet Subditorum humillimus, fidelissimus, obsequentissimus.

LVTET. PARIS. KAL. MAI. AN. MDCLV.



SERENISSIMO PRINCIPI

PHILIPPO

DVCI AVRELIANENSI,

FRATRI

Regis Christianissimi Vnico.

NEMO sincerè Christianus qualis Tu, SERENISSIME PRINCEPS, qui non sit idem candidatus veritatis. Hác è celo CHRISTVS eduxit in terras, vt esset nostræ felicitatis fundamentum simul & fastigium. Quin etiam in divino illius vultu pulchritudines Prisci agnovere sic illecebrosas, sic potentes; vt eam non depereant nisi aut cæci, aut pravi. Non dissimulabo tamen splendores illius vanissimos, nisi amorem

IDEA SCIENTIARVM I

SERENISS. PRINCIPI

Pectori accēdant, qui nos cum DEO cōiungant. Frustra quippe speramus in celo Cherubinis accenseri, si nos consortes hîc non habuere Seraphini. Qua profecto ratione diu & altè meditatâ, facilè in animum induxi meum; præter fidei lumina, culturamque virtutis, cetera tenebrosa in fumos mox vanescere.

II EFFECIT nihilominus præclara illa indoles tua, PHILIPPE SVAVISSIME, ad magna omnia nata; vt in eas redirem Scientiarum Disciplinas, quæ possunt haud dubiè & magnæ spei Principes erudire, & Reipublicæ nonnihil vtilitatis conferre. Nempe quæ fuit animi mei præsagitio de futura magnitudine tua, istudce *Sapientiæ Vniversalis* Compendium calamo imperavit. Inclinantem perpulit, quæ tecum nata est conditio & dignitas solio vicinissima. Non est enim qui nesciat Principibus Viris tam operosum esse plura addiscere, quàm esset operæ pretium ab ijs sciri vniversa. Cumque imagines sint Numinis expressissimæ, illius compri-

primis Sapientiam perinde, ac potentiam deberent protectò imitari. Nati ſunt Homines, tot nempe Mundos, regere. Clavum & gubernaculum mutuantur à cunis, autoritatem intelligo vel ſummam, vel primariam: ſed fragilē, & male cohærentem; niſi mutuus accedat amor, qui Principes nectat, ſubjectamque Multitudinem. At niſi præceſſerit notitia, cognitioque; omnis vtiquè amicitia aut fallax, aut caduca. LVCI AVREL.

Scio equidem ſimiles Tui, MAGNE PRINCEPS, imperijs deſtinatos, non Academijs. Nimiſque referunt vtriuſquè ſeculi Annales, Eruditos Principes ſæpè fuiſſe gubernaculis ineptos, ſæpiſſimè infelices. Verùm & iſtud veriſſimum conſtans docet, clamatque experientia. Quò plura novit Princeps, Throno proximus; eò revera, ſi rectè ſcientiâ vtitur, & aptior quoque eſt eblandiendis animis, Populiſque gubernandis.

ENIMVERO quemadmodum tres dumtaxat Muſas, finxit interpolatrix

veri antiquitas : ita tres omninò Sciẽtias Principibus idoneas, prudenter creditum est à Sapientibus. Prima Religionis est, quæ & mores dirigit. Subsequitur Politica, demum & Historia; cujus gesta præterita duos priores mirificè illustrant, augentque prudentiam in futurum. Atenim illas disciplinas omnes sicut & rerum naturas, mutuo nexu sibi cohærere dudum nostra opinio est. Inde-adeò quò plura scit Princeps & intelligit, eò similior DEO est; cujus non debet esse nisi viva, & spirans imago.

V Fingamus si lubet, Principem qualẽ te opto, PHILIPPE AVGVSTE. Calleat probè quidquid DEO, quidquid sibi, quidquid alijs debet. Fruatur seipso nunquam solo, socia semper rerum optimarum & pulcherrimarum meditatione. Congressus habeat cum Suis, Exterisve omni eruditione excultos. Altiori prudentia penetret Principum arcana, Oratorum consilia. Manus Iudicum discernat, temperando justitiæ exanimi aptiores. Probet ipse in suis

Ducibus, Scientiã militarem. Exploret ad lapidem Lydium Doctos, Disertos: Eloquentia Ecclesiastica, & Civili celebres. Si inquam, Princeps fœtus saltem & dives rerum notitia generali, idoneus esset de rebus quæ dicuntur judicare, Ingenia suorum acuere & excitare; apteque & decenter in Congressibus & Concilijs, vbi semper primas tenet, deliberare, sententiamque promere; quotusquisque est qui neget sic probè formatũ Principem, sic egregiè instructum, sic admirabiliter Eruditum; proprijs dotibus sibimet beatum, autoritate apud Suos: famaque demum apud Exteros, & Posteros concelebrandum? DVCI AVREI.

SED ENIM, vt rara semper sunt quæ pretiosa, eò vecordiæ & adulationis deventum est; vt plerique putent, nitanturque persuadere, decora illa Principibus vel indigna, vel supervacanea, vel assequi difficillima. Qua persuasione pessima, arcentur illi porro à Sapientiæ aditis & sanctuario. Vt vivunt, oblectat eos magis species & VI

venustas, quàm Scientia & Eruditio.
SERENISS. PRINCIPI Ipsa, quæ illis circumfunditur, Aulicorum turbâ & negotiorum mole, arcentur ab otio & quiete ejusmodi præclaris assequendis necessario.

Atenim si verum fateri non pudet,
VII PRINCEPS SERENISSIME, stultissimi erroris parens est fæda ambitio, vecorsve tyrannis; quâ illudi sibi permittunt, satis esse nasci Principem. DEVS, qui ipsissima veritas est, offert-ne se magis Plebeijs, quàm Magnatibus? Prosapiæ & sortis discrimen nonnisi adventitium, nec naturas mutat nec ingenia. Esto Principibus sit indecorum, exercere pædagogiam. At instrui, erudiri, addiscere est sanè gloriosissimum. Has nimirum discretiones iniquissimas natura non inducit, non sustinet gratia, gloria nequaquam admittit. Est quod dicam ampliùs. Vel Scientiarum & Artium, rerumque tandem omnium præclarissimarum primi Inventores Principes fuerunt: vel certè hæc ipsa inventio, publica illos apotheosi consecravit. Vultu, nominibusque regijs

exprimuntur virtutes ac diſciplinæ. Nuſquam illis melius eſt, quàm cùm in Luparis & Baſilicis hoſpitantur. DVCI AVREL.

VIII
HOS tibi, PRINCEPS SPES REGNI ALTERA, inſpirarunt Gens hinc Borbonia, inde Auſtriaca; vtraque porrò Sceptris, & Imperijs nata. Regiam hâc vtramque Proſapiam & Imperatoriam ſcimus non ſolùm Victores & Triumphantes extuliſſe, ſed Sapientibus & Eruditis fuiſſe fœcundas: Inde ceteris Principibus vt non ſit nefas in ſumma vivere rerum ignorantia, id ſanè indecorum fuerit Tibi, PHILIPPE BORBONIE; qui Avos, Atavoſque habes in Gallia, Hiſpaniaque Carolos Magnos, Alphonſos, Ludovicos, Philippos. Proſtantque paſſim exempla omni ævo famoſiſſima, quibus palam fit raram virtutem, Scientiaſque exquiſitas veras laudes exiſtere, vera encomia eorum qui nativo jure purpuræ & throno innaſcuntur.

IX
Sed & factum te à natura & à DEO conſpicimus, DVX INCLYTE, vt noſtro ſeculo reddas magna illa nomina, He-

roas nominatissimos, Reges illos & Imperatores, quos Numinis providentia Christiano Imperio subinde admovit. Miraculi instar nobis est ea in te ingenij subtilitas, animi generositas: affectus erga res pias omnes, morum integritas, tot inter pestes seculi, & aulæ. Illa, illa deinde comitas, humanitas, vrbanitas quibus inescantur & irretiuntur quotquot tibi accedunt; apertè docent animum tibi datum à DEO, ex illo puriori igne quod subtus illius Throno recondunt Hebræorum arcana. Atque vt nihil desit ad perfectam indolem, mens exaggerata quidquid vile est & abiectum despiciens, tota in ea decora effertur; quæ nulli adnata, Principes evehunt ad fastigium gloriæ ac felicitatis.

X NOBILE propositum iuvare fortassis potest, concinna hæc Scientiarum omnium & Artium Collectio; quam florenti adhuc ætati tuæ munus affero, & offero. Compendium est non prorsus vulgare & tritum, SAPIENTIAE VNIVERSALIS. Hoc ego eam nomine ap-

pello, cui ſtudeo ab annis fermè quadraginta; quia & vbiquè reperitur, & quia maximè modum tradit ac methodum de omnibus cogitandi, deliberandi, loquendi, tractandi. Summula eſt Scientiarum planè omnium, quarũ autorem ſe & conſummatorem haberi DEVS ipſe gloriatur. Effuſio eſt & effigies veritatis, quæ, ex naturæ genio, ſocia virtutis eſt individua. Illa porro ipſa veritas eſt quæ tametſi liberare homines memoratur in Evangelio, me tamen addicit tibi ex ære & libra: magis adhuc ex affectu & amore reverenti, mancipium. DVCI AVREL.

LVTET. PARIS. IDIB. MA.
AN. MDCLV.

AVGVSTAE CHRITI. NAE

AVGVSTAE SVECORVM REGINAE

CHRISTINAE-MARIÆ ALEXANDRAE,

EX VRBE ROMA CATHOLICA

Galliam Chriſtianiſsimam appellenti.

SALVS. XI

QVANTVM ſis Orbi miraculum, REGINA SERENISSIMA, ipſe miratur Orbis vniverſus. Exemplum nempe das poſteritati, quod nulla retro ſæcula repræſentant. Geminatoq; elogio cùm cunctæ dotes in te ſint eximiæ, eas nemini debes niſi DEO, & Tibi. Quæcumque in Guſtavo Magno Parente Tuo, magna extiterunt; tuis ipſa ſplendoribus feciſti majora, Ca-

tholica fide maxima. Postremum istud ita animum afficit meum, vt lætos inter plausus Christianitatis non tam Regis mei jussu concursuque publico Maiestati tuæ accedam, quàm arcana vi rapior venerabundus. SVECORVM REGINA.

XII

NARRENT alij, per me licet, regiam prosapiam, indolem vt in Regina Amazonum heroicam: ingenium ad stuporem omnigena eruditione, nullisque non virtutibus longè supra sexum eminens. Alia me certè ratio impellit, cur te appellem nostræ ætatis ænigma, Europæ paradoxon, Orbis miraculum. Paulæ, Eustochij, Melaniæ, Demetriadis, famosas in Oriente peregrinationes nemo Eruditorum ignorat. Mahuriam quoque, Reginam Saracenorum narrant tabulæ Ecclesiasticæ, hortante Sancto Hilario, CHRISTI fidem amplexam, pacem sanxisse cum Romanis ea lege, vt ad se mitterent Moysem Monachum; cujus prædicatione & exemplis, plerique Saracenorum CHRITO fuerunt initiati. Sed & Fritigildis Regina Marcomanorum (vici-

nam credo agnoſcis) Ambroſij Medio-
AVGVSTA CHRISTIN. lanenſis famâ permota; munera ad eum miſit, eamdemque cum eo Religionem amplexa eſt.

Præluſerunt illæ omnes egregio fa-
XIII cinori Tuo, AVGVSTA PRINCEPS, ſed eas omnes à te vna immenſum-quantum ſeparari nemo non videt. Vmbras delinearunt, quas lumine tuo colluſtras. Gratiæ verò, ea in re miraculum quis neget? Generoſiſſima Princeps in flore ætatis, tota admirante Europa, *abdicatis* Sceptro & Corona, Lutherana hæreſi ejerata: votis ac votivis apud Divam Lauretanam nuncupatis, illuſtri peregrinatione *Romam* accedit. Inclytæ Neophytæ Alexander VII. tantæ ſpiritalis digniſſimus Pater, & Romanis, & (quod longè majus) Chriſtianis triumphis applauſit. Ea mox in Sacramento Confirmationis præter primævum Chriſtinæ nomen, Mariæ-Alexandræ titulis aucta: ſacraque Synaxi manu Pontificis tum Maximi, tum Optimi donata; fidei Catholicæ trophæum erexit & ſaluti, & æternitati duraturum.

EXINDE *Galliam* appellis, Christinam Christianissimam. Isticque, nec arbitror sine Numine, Majestatis Tuæ Exceptor à Rege delegatur *Guisius* Princeps, hæreditario jure Catholicus: propria verò fortitudine, ingenio, eruditione vel nemini, vel tibi, vel sibi soli comparandus. Nimirum consilio tam sapienti quàm arcano, sacro haud minùs quàm secreto palam profiteris ea quæ occulta diu animos in Europam suspensos tenuere. Rata videlicet, quod res est, non habituram te DEUM Patrem; nisi Ecclesiæ matris sinum, & gremium subivisses. Calcasti eam ob rem mendacia in ipso Capitolio, & apice veritatis. Neque enim profectò Ecclesiæ Primogenitum priùs à te decuit conveniri, quàm esses legitimis sacris adoptata. Scilicet, ex Academiæ proloquio, scopum ad quem primò collimasti, vltimo conatu attingis: primaque vota, postremo labore exsolvis. SVECORUM REGINA.

Quid enimverò aut ad prudentiam commodius, aut ad commune bonum

vtilius, aut ad pietatem felicius? Iam
AVGVSTAE CHRISTIN. seculorum plusquam duodecim perenni serie viget in Gallia fides sine fuco, Religio sine supercilio: pietas sincera, virtus non ementita. Atque vt in celestibus globis, siderum quædam conjunctiones fausta omnia Mortalibus pollicētur: ita Iulium simulque Christinum sidus jungi nequeunt, nisi in immensę felicitatis omen & augurium.

Vt igitur taceam quę in Christia-
XIV nissimo Regno summa reperies vniversa, expectat Te Ludovicus nostrę & Orbis delicię. Expectat Regina Mater, avitę Religionis, Regnique Tutelaris. Expectat Regis Frater, hocce titulo, ceterisque decoris vnicus. Ea sub Triade, quid non sperari aut potest, aut debet; cùm Tu, PRINCEPS INCLYTA, magni illius Mazarini Regis Curatoris, Regnique Administri sublimem mētem perspexeris, pectusque sapientissimis consilijs inexhaustum?

Felices ambo si pacem, quam po-

ſcimus omnes, Orbi Chriſtiano pergitis procurare. Si intemeratę Religionis ac Fidei Orthodoxæ amplificatio, veſtrorum vtriuſque laborum meta, extiterit. Votum iſtud, quod commune eſt bonis omnibus ac ſincerè Chriſtianis, cumulant modò hi mecum Carmelitę. Quàm enim perbeatè agi nobiſcum exiſtimamus, quòd primi inter Aſcetas ex Lutetię Orbis compendij meditullio, Majeſtati Tuæ adgeniculamur. Primi ex Aede, quam ingenti miraculo ſacravit CHRISTI cruor in Euchariſtia defluus ex recutiti carnificina, Tuam Majeſtatem ſalutamus. Primi è vicina Auguſtę huic Luparæ Eremo efflagitamus, vt nos omnes ejuſdem voti reos Regię inter Majeſtatis Tuę Clientes, pro tua humanitate patiaris annumerari. IN LVPAR. FONBELLAQ. IDIB. SEPTEMBRIS ANN. MDCLVII. SVECORVM REGINAE

SERENISS.

MAGNO ETRVRIÆ PRINCIPI SERENISSIMO

Felicem hymeneum.

VITA B. M. MAGD. PAZIANAE XVI.

GRATVLABVNDA accedit ad te, PRINCEPS SERENISSIME, Beata hæc Monialis Carmelitana, in auſpicium feliciſſimi matrimonij. Ingerit ſe caſtiſſimo, nobiliſſimoque coniugio Sacra Veſtalis: nec dedignatur hymeneum, quia tuum. E celi vertice gaudet Gallica Lilia, Cruceſq; Lotharingias inſeri Orbibus Medicæis; quippe quæ & virginitatem Semper coluit, & cruces nunquamnon adamavit. Nec planè Inclytis Maioribus tuis ignota, quæ ſeculum fugit dum viveret, jam DEO fruens in æternitate ambit in Palatium admitti. Flos eſt ex Etruria tua, ceu ex hortis heſperijs, Virgo hæc Florentina. Illas præter ſan-

guinis nobilitatem, amitæ tuæ Mariæ Mediceæ, per nuptias cum Henrico Illo Magno Galliarum deinceps Reginæ, innotuit vſque ad familiaritatem. Prædixitque illa, quæ poſtmodum in vtraque fortuna docuit eventus. PRINCIPI ETRVRIAE

EST deinde quod gratias rependat, Serereniſſimæ Medicæorum proſapiæ: novaque, ſi permittis, à Tua CELSITVDINE beneficia eblandiatur. Debet *Tibi, & Matris Eccleſiæ pietati*, quod Beatorũ albo ſit inſcripta: noſque Carmelitæ omnes illius nomine oramus, precamurque ſupplices, vt Medicæo Interventu Sacram, integram, ac plenariam Apotheoſim conſequatur. Inchoavit feliciter Vrbanus VIII. flos e veſtra Florentia lectiſſimus. Vt abſolvat in procinctu eſt Alexander VII. & Ipſe nimirum veſtras, è Senenſi Ditione. Ita debebit omnia Magno Etruriæ Duci, ſuiſque Etruſcis; Patriam, genus, monaſticen, Sanctitatis decus & honorem. XVII

Quàm verò præclarum, & dignum revera Principe Chriſtano, iamque ad omnia Magna Etruriæ, Italiæ, XVIII

SERENISS. PRINCIPI Europæ Orbi divìnitùs conceſſo; Cellitibus cultum procurare, & Divorum augere celebritates. DEI illa imitatio eſt, cuius Amici nimis ab ipſomet honorati in ſacris paſſim dypticis memorantur. Decusque erit veſtri Imperij ſempiternum, ſi quemadmodum Corpus Pazzianæ adhuc integrum ſervat poſt ſexaginta fermè annos veſtra Florentia: ita animi virtutes eximię luculento diplomate, cedant in totius Chriſtianitatis exemplum.

XIX QVIDNI Verò id à Sanctiſſima Sede ſperemus, quando vitam vixit illa, noſtro ævo per omnia ſanctiſſimam? Compendium porro illius iam in noſtra Gallia frequenti editione frugiferum donavi modò latinitate, quoniam optatę Canoniſationi ſymbolum juvabit fortaſſis contuliſſe. Quidquid tandem OPELLAE eſt, tui nunc nominis ſplendoribus Audeo nuncupare. Quod perpetuum, ſi annuit Tua Celſitudo, extet ſervitutis erga te meę monumentum: votumque vt te quantocyus, tui te videant *felici prole beatum*. IN VRB. KAL. AVG. AN. M.DC.LXI.

SE-

SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO

A LOTHARINGIA

DVCI GVISIO.

NARRABVNT alij, SERENISSIME PRINCEPS, quæ decora dedit tibi Orbis terrarum: & quæ ille à te, tuiſque viciſſim accepit. *Genus* in te derivatum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus bello & pace, virtute militari & Chriſtiana pietate inclytis. Quę tu quoque potes artibus illis quibus animi hominum aut blandiùs emerentur, aut potentiùs domantur; ita publicè tota novit Europa, vt commemorare ſit ſupervacaneum. Accedo igitur ego Celi, & Inferni propalator: eorumque quę in alio cenſu tibi præcipua & propria ſunt, non ſuſpectus ęſtimator.

MEMORABILIA NOVA ET VERA.
XX

D

DVCI GVISIO

INGENIVM concessit tibi, autor Naturę DEVS, quale sibi quisque optaret; nemini hac in parte cessurus. Animum, qui olim H'ρωας consecravit. Indo-
XXI lem, ad omnia comitatis, vrbanitatis, magnanimitatis, & munificentiæ officia natam. Formam corporis, & vires; illam ad amorem conciliandum, istas ad terrorem imprimendum. Iam Europæ propemodum totius Idiomata callere & loqui vt nativa, scientias omnes habere in numerato: Theologiæ quoque ipsius sic reminisci, vt nobis scholæ & pulpito assuetis, facias invidiam; elogiorum esset cumulus, nisi dotes tot illustres amplioribus adhuc privilegijs gratia CHRISTI exornasset.

XXII Vidisti mundum, PRINCEPS INCLYTE, & nihilnon expertus, intellexisti cum Salomone; cuncta in mundo vanissima. Moxque divinæ voci morem gerens; vitam instituisti qualem in cunctis Principibus Christianis optat, & jubet CHRISTVS ipse. Atque inter solida, eaque publica, Christianæ vir-

tutis exercitia, amas frequenter de rebus divinis miſcere *colloquia*. Immò quod auguſtior ſanctimonia habet magis myſticum ſic revereris, vt etiam religiosè anquiras. Quoties nempe vidi te de gratiæ arcanis, de melioribus charismatis: de vaticinijs ac revelationibus, de Numinis ac Dæmonum operis, veſtigijs, notis, & characteribus differentem ad miraculum? Quoties & non ingratum tibi fuit audire me referentem de novis, & quotidianis experimentis; quibus, vt iſtud Tertulliani vſurpem, illuminantur tenebræ antiquitatis?

SERENISS.

XXIII

INTEREA actum non ſemel hinc de vaticinijs ac revelationibus, inde de Energumenis. Nec perfunctoriè diſceptatum de notis, quibus larva & mendacia ſecernuntur à veris & ſinceris. Iam Romæ in otio, quod minùs concedebat Lutetia, noſtra vacat Adverſaria recognoſcere: & hâc vtrâque materiâ non ignobili, Selectas quas publico damus Epiſtolas, ſub ſplendidiſſimo nomine tuo locupletare. Re-

SERENISS citabit igitur modò calamus *nova* nonnulla, sed certa, quæ olim non displicuere S.T. audita. Tum suo deinde loco procedet *examen duplex*, magni revera in Christiana Religione ac pietate momenti. KAL. MA. AN. M. D. CLXI.

PRINCIPI N.

SERENISSIMO

PRINCIPI N.

RESPONSUM.

XXIV

QVod Operis olim majori otio & spiritu absolvendi, primitias ad te misi, SERENISSIME, IDEMQVE GENEROSISSIME PRINCEPS, officij mei fuit: quòd gratias tàm prolixè rependis, humanitatis tuæ est. Illud in Patriæ sinu hausi, quæ Majoribus tuis nihil non debet. Istud nobilissimo pectori tuo inspirarunt Heroum mentes, quorum humanitas prospera omnia semper voluit, vel illustris Familiæ clientibus, quos amabant: vel Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Sacer-

dotibus, quos venerabantur. Vtroque nimirum titulo tibi post optimum Parentem innotuisse, felicitatis meæ pars est. Excepit jam Gallicus Orbis nostri affectus testimonia, quæ tanto Genitori tuo non ingrata exstitere. Calles illic quasi digito ostendi, quibus per Avorum vestigia properandum tibi ad virtutis titulos augustiores. Vocat enim te ad excelsa, & sollicitat Prosapia inter omnes Europæas aut sanguine, aut affinitate eminentior. Macte igitur, PRINCEPS INCLYTE, ante fores stantem famam toto sinu vt admittas; DEVM cultu prosequere, Majores gloriâ assequere quibus non degener addes.

PRINCIPI N

Sic erit vt voveo, vtque precor, dulcissime rerũ.

In Arce tua, KAL. AN. M.D C.XXXV.

ILLVSTRIS.

AMPLISSIMO
PETRO SEGVIERIO

Franciæ Cancellario.

MEDVLLA SAPIENTIAE.

XXV.

IVstitiæ, Regnique Principes, VIR AMPLISSIME, vacuis manibus convenire, olim fuit nefas. At cum Ianus ille Seculorum Parens, novi anni valvas aperit; donativa singulis offerre sacro, profanoque Religionis cultu, ritè præceptum est. Ingratus verò sim, aut certè inurbanus; si hoc ineunte anno sine aliquo Musarum Xeniolo, & velut Apophoreto, salutem te; quem magnum Familiæ splendor, majorem Iustitiæ Populis distribuendæ officium inter Gallos primarium: rara demum integritas, pietas vix credenda, & augusti virtutum omnium tituli fecere maximum. Quid quod temporis ipsius leges, imitatione propemodùm nati-

va videmur æmulari? Nempe dum ſui ipſius parens, & proles annus, perpetuas vices reparat in orbem; diverſa nobis dierum momenta diſtinguit, quando prorſus eadem reponit. Haud diſpari ratione veterem tibi voveo Sapientiæ Ideam, ſed alijs ſubinde atque alijs coloribus depictam. Recens nihil promo, quippe ſub celo novum nihil. Nec me Aquilam credo, quaſi eduxerim è Cedro Libani medullam. Studia tantùm eò direxi; vt quid in vtriuſque Sapientiæ arcanis latitaret, eruerem in meos vſus. SEGVIER RIO

DIXERIT fortaſsè quiſpiam, nullam vitæ tuæ partem ejuſmodi otijs Diſciplinarum relinqui ex muneribus publicis; quibus totam per ſingula momenta impendi, & ſuperimpendi Populi omnes cum amore venerantur. Enimverò quiſquis mentem omnium capaciſſimã penitiùs introſpexerit, ſtatim intelliget te & multùm, & multa in dies addiſcere, magna loqui, majora exequi: ſapientiæ fructus deguſtare, flores & amænitatem minimè aſperna- XXVI

EMPLISSIMO

ri; vt fermè vnus sis, vix alter nostra æ tate Literarum parens, Literatorum Genius tutelaris. Nullus è Plebe à tuis, hoc est à Iustitiæ foribus arcetur: omnes è Museis in sinum tuum, velut in ipsius Suadæ gremium, convolant. Inde nata in Orbe Gallico, anceps controversia; sit-ne virtus tua proclivior Iustitiæ, an doctrinæ litibus dirimendis? Clientibus, an Eruditis januæ humanitatis non quotidanæ faciliùs aperiantùr?

Dicam liberè id quod res est. Sicut ex acutissimi Poetæ sententia,

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci:

Ita virtutis & eruditionis amans, eos vtiquè amas, amplecteris, ac foves; quos nosti vtriusque Studijs, ex voto consecratos. Tam excellentis Sapientiæ candidatum me profiteri vix auderem, nisi revera nomen meum virtuti, & doctrinæ consecratum, tantisper agnoscerem; quia amplissimæ dignitati tuæ, publica lege dedicatum. LVTET PARIS KALEND. IANVAR. AN. M. DC. XLIV.

Ad Eundem.

CONSTENT licet partes, eadem materia incorruptibili; quibusdam tamen impertivit supremus artifex DEVS multò plus tum lucis, tum decoris. Sidera sunt Soli, ceu Regi, circumposita; à quo per viciniam mutuato lumine, purioribus radijs terram fœcundant, motus magis ratos & æquales sublunaribus imprimunt, totiusque vitæ cursum benignoribus cumulant influentijs. PETRO SEGVIERIO DEVS INFANS XXVI

At quoniam omnes celi dotes Genus Humanum insese colligit eminentiùs, liceat mihi per tuam, ILLVSTRISSIME CANCELARIE, humanitatem non tuas aggredi laudes, quæ tametsi verissimæ notam omnibus modestiam onerarent, sed divina in te beneficia tantis per delibare. XXVII

NON diffiteor, quod fateri plerosque omnes animadverto, Hominũ prorsus

omnium animos ſpecie vna indiſtinctè
ILLVSTRIS cõtineri. Atenim quotus quiſq; eſt qui nõ videat in aliquibus eminere dotes à DEO præclariſſimas, quibus plebeios & vulgares antecelli nemo vllus inficiatur. Innatum tibi, VIR MAGNE, iſtudce privilegium in confeſſo eſt apud omnes: palamque edixit Eccleſiæ Prmogenitus, Regumque ſummus; dum te iam olim primarium in Francia Iuſtitiæ Interpretem, Oraculum & Pontificem nominavit.

XXVIII Scimus relatu peritorum, in auri fodinis innaſci auri glebas; quas natum alibi, nuſquam adæquat. Ita ignorat nemo in Regnis & Rebuspulicis extare *Familias*, quibus ingenita nobilitas eſt: & ceu per propaginem, ab avis & atavis virtus hæreditaria; Vultus propemodum dixcris, partes que in corpore politico eminentiores.

Nemo interim tam parum ſciens, quin à fama ipſa, hîc minimè omnium mendaci, didicerit adnatum tibi hoc vtrumque decus metas exceſſiſſe, non ampliùs quàm à virtutibus tuis propa-

gandas. Gentis nimirum SEGVIERIAE, radix ipsa, vt in malis punicis, coronata: atque vt celebris illa arbos Novi Orbis, nostræ Religionis caracteribus & signis omnibus efflorescens; elucet passim pietas illa christiana & circa te, & in te. Tota Imperij Majestas, credito tibi Regis sigillo flagitia extirpat radicitùs, virtutes implantat. Verùm cùm regius ille caracter non vltrà cartam & ceram contendat, accersenda fuerunt vitæ tuæ *exempla*; quæ sceleris odium, amoremque virtutum Gallis persuaderet vniversis. SEGVERIO

EA nimirum est Status nostri Politici *Hierarchia* admirabilis. Regi, etiam vernaculo apud nos sermone DEI & Domini Vicario, à Patre luminum affluit suprema illa autoritas, quâ conciliatur reverentia Populorum. Officium Themidis præcipuum, quod imples pari virtute & fama, pars est nostri hujus celi Francici præstantissima. Inde vires illas mutuaris, quibus totum apud nos regitur Imperium; nec aliter nostro Principi subes, quàm ipse DEO. XXIX

ILLVSTRISS Apud te nimirũ & per tè ſupremæ autoritatis illius pignora, poteſtatis inſtrumẽta, veritatis oracula, iuſtitiæ placita, beneficia munificientiæ. Quare & Regi aſſides, quoties tota Majeſtate prodit ſe nobis; fermè vt ſub DEI throno lucis theſaurum claudit Hebræorũ, Theologia; cujus radijs formantur pauci illi Heroes, quos moderandis Rebuspublicis, Imperijſq; adminſtranidis ſubinde deſtinat Numinis providẽtia.

XXX Quid ergo mirum, OPTIME SEGVIERI, ſi tibi tot titulis famoſiſſimo, quidquid hîc Opellę eſt aggredior nuncupare; vt tuis luminibus illuſtrata mea IESV INFANTIA, magis ac magis vndequaquè ſplendeſcat.

PREVIDI ſatis laborem meum Momis, ac Zoilis materiam fore ſuggillandi; quaſi ſubſidat Concio tantilla longè infrà ingenij tui ſublimitatem, officijque majeſtatem. Sed præterquam quod primi Hominum cultus erga Numen, non fuerut olim niſi foſculi lactis guttulæ, mellis promulſides; Vt tuum ambirem patrocinium, ratio-

nes me impulerunt ab humana, & Politica prudentia procul diversæ. Vidi nihilum DEI præstare creatis omnibus. Persuasumq; habui eximię pietati tuę, Religionis medulla enutritę, gratissima fore prima hæc nostræ servitutis IESVM erga Infantẽ obsequia: nec digniùs posse tecum agere Religionem, quàm dum te divinissimis Cunis submittit: tuãque tutelam efflagitat pro ijs omnibus, quæ suavissimi Pusionis Infantiam adornant.

CETERVM quæ tibi cum toto CARMELITARVM Ordine affinitas intercedit partim â natura, partim à gratia: specialisque necessitudo cum Religiosissima Belneænsi, MARGARETA à Sanctissimo Sacramento, protectionem tuam potentiùs eblandiri mihi visa, pro hocce pietatis ÆXERCITIO, à beneditta illa Moniali nostris diebus mirabiliter renovatæ. FIETRO SEGVIERIO

Eam nimirum etiam atque etiam exposcit sibi, nostra Carmelitarum inter Gallos Observantia. Cæpit illa inspirante DEO, ante sexaginta annos

PETRO SEGVIERIO.

RHEDONIS in Armorica Superiori: ab eoque tempore, fructus vbiquè produxit vberes & amplos. Iam post Sanctæ Sedis Diplomata decretoria, zelus in te & industria mirabilis zizania cæpit eradicare ab Homine inimico probæ segeti superseminata.

PERGE porrò, VIR OCVLATISSIME, SAPIENTISSIME, IVSTISSIME, sincera ab adulterinis discriminare. Illaque pace felicissima qua beavit Europam Inclytus Mazarinus, fac gaudeant CHRISTI Famuli; quibus nullum aliud bellum esse debet quàm adversus carnem & sanguinem, seculum & hostem tartareum.

Zelum certè quo tuum pectus inardescit pro DEO, pro Ecclesia, pro Religione, pro Carmelitis; intuetur quotidiè Lutetia, suspicit Roma miratur & amat. Merebitur ille profectò annos longævos, vt diutiùs bonis omnibus proficias; meritaque tua, cumulabit in æternitate.

Id vt eveniat, sed serò, verè optant probi omnes qui DEVM quærunt in ve-

rita te. Id ſperant quotquot CHRISTO per vota conſecrati, tanta ſe vocatione dignos præſtare connituntur. Id ipſum ego pre ceteris voveo, in Vrbe, Sancta; vbi & quia libum mearum Concionum Sermone latino dare juſſus ſum, nedum rogatus; hac IESV INFANTIA tibi dum Lutetiâ diſcedo, vernaculè nuncupata; in ipſo Eccleſiæ Catholicæ ſinu litare & gratum mihi fuit, & religioſũ. ROMAE KALEND. SEPTEMBR. AN. M. D. CLX. PETRO SESEGVIERIO

INCLYTO

CAROLO ALBASPINÆO,

Franciæ Procancellario.

ABSTRVSIORA fecit DEVS rerũ omnium principia, VIR PER OMNIA INCLYTE, credo, vt eſſent auguſtiora. Inde naſcentis Mundi cunabula invol- HOSTIA PARIS MIRACVLOSA

vit abyssus, & caligo: Religionis, nox & silentium; ceterorum quæ geruntur, referunturve ambages, & opinio anceps. Ratio, ni me fallit conjectura, præcipuè duplex. Prior à DEO, cui lubet, Hominum mentes exercere per mysteria & ænigmata Fidei nunquàm non obscuræ. Ideo Lemma illius genuinum, *Fide, & Vide*; quasi res omnes eiusmodi gustandæ sint, priusquam cernendæ: fiduciaque sit in manibus, inque auribus securior quàm in oculis Vsu quoque venire solet; vt magnarum rerum primordia vel tenuissima sint, vel maximè insolita. Si primum, non advertuntur: nisi cùm grandes effectus consecuti sollicitant regressum ad originem; cuius memoria jam obsoleverit. Si quid verò accidit insolens, pernegant alij, alij nimis affirmant, stupent omnes: rarusque est, qui rem, vt gesta est aut possit, aut velit monimentis consignare.

Danda ergo venia antiquitati, si sæpiùs in rerum præsertim initijs, humana divinis, falsa veris admiscentur. E-

gregium verò ſtudium cuncta, quantùm fas eſt, explorare ad Lydium lapidem. Et ſive naturam, ſive pietatem, ſive hiſtoriam à tralatitijs erroribus vindicare. Eſt tamen quòd in ejuſmodi purgatione, & quaſi luſtratione critica, aurea illa deſideretur *mediocritas* quâ ſolâ itur tutiſſimè; ne iſti Antiquariorum conatus, non tam operentur veritati, quàm ambitioni velificentur. Quot enim videt inquieta hæc ætas à natura exorbitare, dum novas ſemitas ineunt: Religionem ipſam radicitùs evellere, dum palos & ſepes illius conculcant; certiſſima quæque luxare, dum acri pruritu nihil non vellicant, aut mordicant? Equidem animi, calamique moderatio Eruditorum decus præcipuum; eoquè magis quod & in Iure ipſo, *nimia ſubtilitas improbatur*. Cuncta promiſcuè credere, vltima hebetudo: cuncta obſtinatè diſcredere, ſumma protervia. Nulla fabula, non involvit aliquid veri: pauca viciſſim in humanis ſic limpida, vt nil luti, cæni-ve adjungatur. Iuvat igitur quæ pietatis ſunt

FRANCIAE, PRO CANCET.

ILLVSTRIS. ad pondus Sanctuarij,& Fidei libellam pensitare: quæ Scientiam spectant, ad germana naturæ principia explorare; quæ Historiam, ad suetas humani fœderis & consortij regulas examinare. Neque, quod rectissimè monet Lycei princeps Aristoteles, paria rationum, vel æqua autoritatum momenta vbiquè debent postulari.

Div revera est ex quo eas mihi lineas circumscripsi in indagine veritatis, cujus amore teneri me vehemẽter quid est quod negem? Quapropter sinceræ, & citra fucum Sapientiæ qualemcumque Ideam mihimet effingens: animadverti exijs omnibus quæ nostram vitam intercurrunt, alia spectare Devm, quem colimus: alia Orbem hunc, in quo vivimus; alia Hominum societatem, per quam extamus. *Sapiens* ergo mihi deputatur, qui similis tibi, Vir maxime, vitæ tenorem sic instituit, seque componit ad vniversa; vt divina credat, Plysica intelligat, humana discernat. Primum Fidei opus est, alterum Scientiæ, postremum Historiæ.

Quo triplici nexu, ſtringitùr vera felicitas. GAROL. ALBASPIN.

Enimverò Fidei norma, Dei ſermo vnitrinus; cujuſque ſcilicet menti impreſſus, ſed ex Scripturæ Tabulis,& ſacroſanctis Eccleſiæ Oraculis.Qua in re peroravimus non ſemel, ſtatque in Dei verbo anchora Fidei tutiſſima.Veſtigata etiam non otiosè Natura, quæ vnam per varias Diſciplinarum formas veritatis faciem mihi oſtendere viſa eſt. Tributum pariter ſuum Hiſtoriæ Digeſtum, per ſex Æras; ſeu Claſſes (*Concatenationes temporum* vocat Tertullianus) complectens digna memoratu. At in Fide quidem certitudo certiſſima, quia divina. In Naturæ verò penetralibus,non procul à Septicorũ προβληματικῇ, parũ abeſt quin conjecturas agnoſcã magis,quàm ſcientiã ſi demas nõnulla μαθημάτων ἀποδεικτικά. Quantùm ad res geſtas, ævi cujuſque opiniones ſpontè ſatis amplector; tum cùm nil habent divino Canoni repugnans, abs generali naturæ curſu nimis alienum: omnia verò ſuetis Hiſtoriæ VI

ILLVSTRIS. legibus, aptè concordant. Vlteriùs namque vrgere argumenta, protervi ingenij est & pervicacis. Extra Fidei ἀποκαλύψεις, Pythagoricũ illud neutiquam amo, αὐτὸς ἔφα. Nec sustineo tertios è celo Catones; qui dictum; factum, rectè etiam cogitatum nihil volunt; nisi quod censoria suâ virgulâ, dictatoriè approbarint. Apage inhumanam Tyranidem! Illa si obtineret; rueret statim fides omnis, & quævis societas sus deque pessum iret. Non ergo solùm monente Peripatetico, *Sapientum consensus* mihi instar rationis est: sed in divino-humanis præsertim, ea amplectenda reor; quæ secundùm solemnes ritus & leges historiarum, fidem promerentur.

VII

Eo in censu repono *Miraculum*, quod libri Annales referunt de Sacra Hostia à recutito Iudæo ante quadringentos annos, hîc Luteriæ per summum nefas cruenter excarnificata. Subrogati enim velut novi Ædiles *Carmelitæ* cùm sint à quinque lustris, in sacri hujus Martyrij seu possessionem, seu custodiam; mihi

omnium testi non insincero nihil antiquius fuit, quàm facinoris adeò insolentis *veritatem*, quoad potui, rimari, indagare, expiscari. Nec spes mendax, aut inanis labor. Reperi quæcumque alijs ejusmodi fidem sternunt, & struunt. Collecta ergo stupendæ adeò Historiæ documenta offero tibi, OPTIME ALBASPINAEE; in pignus nostrorum omnium erga te gratitudinis, meæ verò devotæ pridem servitutis. Florentissima stirpe nobilior ipse, publicis muneribus clarior, vtraq; sorte illustrior: te magis quàm tua, statim ac novi, amavi, suspexi. Provocas etiam à decem circiter annis insigni benevolentia, & liberalitate, nostrorum obsequia. Quin & voluit is animi tui ardor, & vigor, qui cum annis nescit senescere: nostrũ istud in Lutetiæ meditullio miraculosę Hostiæ delubrum, per *ἰκνοφραφίαν* exhiberi. Quidni vnà simul subijciam quæ sunt *Monasterioli hujus Sanctissimi Sacramenti* & intimiora, & sanctiora. Habes ea, vt Conventus ipse, paucis contracta; erunt que ex propriò etiam stem- CAROL. AL- ALBASPIN.

mate, si modo annuis. ἀχαρίστικα. LVTET. PARIS. X. KAL. IVL. AN. MDCXLVIII.

ILLVSTRIS.

INTEGERRIMO DOM.

MATTHÆO MOLÆO,

IN SENATV PARISIENSI

Cognitori Regio:

PRAEMESS. ENCICLOP.

SOlemnis ac vetus querela est, REGIE PROCVRATOR INTEGERRIME, in hoc mortali Imperio optima quæq; nedum Artes ac Disciplinas, velut fatali ruina in peius semper inclinare. Nec verò defuerunt in omni ævo plerique Sapientum, qui adspectabilis vbiquè vel ortus caduci, vel originalis interitus causas attentiori mentis indagine vestigarunt. Fatebor tamen ingenuè, & procul ab omni adulationis fuco, temerè pridem alijs quęsita rationum

momenta, abs te vno inventa feliciter. MOLAEO.
Quasi gestiret admirabilis illa veritatis pulcritudo, castissimi Iudicis oculis sese nudam credere; quæ vel vmbram suipsius crepera luce, aut sub deliquiū noctescentis diei profanis committere hactenùs verebatur.

IX
Nempe intimis animi mei sensibus implicata hæret memoria gratissimi illius congressus tui, cujus concessas à celo dilitias eximia inter Supremi Numinis beneficia æternûm reponam. Dum enim solemnes ferię hinc judiciariam, inde cōcionatoriam curam relaxant; innocētissimę voluptati lenocinata est Tusculi tui tàm amœna, quā nativa pulcritudo. Animum deinde oblectabat meum assidua sermonis consuetudo, inde mihi felix ac beata, vnde tibi ab omni eruditione dives. Sed quod hodieque stupore me tenet attonitum, suspensum admiratione; illa, illa est profectò constans, perennis, sibique semper similis virtutum cultura: sinceræ Majorum pietatis, necnon Christianæ olim Philosophiæ vultus

representans. Neque peccabo hîc in modestiam tuam, illibatæ vitæ mysteria, sanctissimæ pariter familiæ adyta, penetrans, penetralia recludens. Sola nimirum virtute contentus, solus sufficis ipse tibi. Et qui (vt hoc Tertulliani vsurpem) *nullum bonum sub exceptione Personarũ administras*, Iudex integerrimus publicâ per orbem Gallicum famâ, satis superque laudatus es. Quid quod in ea vacatione autumnali, pudicra quoque serja erant, quòd essent tua; quasi nequiret altissima mens alijs, quàm profundissimis cogitationibus etiam recreari. Et inter eas quidem sæpe sæpiùs recurrit in memoriam, altior meditatio *causas* disquirens; cur ad consequentis cujusque seculi dedecus, cum reliquis quæ magis eminent, & Scientiarum orbis in dies frangi: & verò ipsa in ceteris *Eloquentia*, paulatim corrumpi videatur.

X Quotus enim quisque ætatis suæ vel fastidio, vel contemptu, vel æquo fortè iudicio priscum seculum aureum nõ appellat? Quis primarios illos, ac prin-

cipes in vna quaque Disciplina Viros non ita veneratur, vt posteros vix rudioris imitamenti laude commendet? Adeò nimirum fatali quadam naturæ impotentia, aut seculorum iniquitate decrescunt ingenia; vt licet plerique omnes sanctioris illius, & augustioris Eloquentiæ imaginem, vel potiùs vmbram consectentur; in omnibus tamen qui faciem probè assequatur, sit nemo. Passiva videlicet opinio, in quam itur vitio humanæ malignitatis; cuique idcircò, legitima plurimorum exceptione reclamatur. Neque certè Vulgi sententiam tanti facio, vt ætatis solius, aut naturæ defectum putem; quem altioribus principijs repetendum ijsdem ipsis proponendùm *rationibus*, quas ex ore tuo accepi, velut jure fœnoris, depositi-vè repræsentare aggredior. MOLAEO.

PRINCIPIO quidem florenti semper ævo vivere, Divinitatis character est. Et is quidem simplici, eidemque incorruptibili naturæ sic impressus; vt Numinis illius, à se ipso beati, prærogativæ nec minui possint vnquam, nec au- XI

ILLVSTRIS

geri. *Cetera* quæcumque visuntur extra DEVM concipi, nasci, adolescere, perfici: mox deinde ijsdem gradibus, immò sæpè casu repentino labi, corumpi, interire; quis nescit nisi & sui ignarus, & rerum omnium imperitus?

Accedit deinceps justa regni celestis ac terreni *partitio*, ea lege à Conditore distributa; vt quæ in Superiori Mundo sunt, fertilitate quidem careant sed & caducitate. Quæ verò in sublunari fœcunditatis scaturigo est, eadem sit & mortalitatis. Vbi nimirum Genesis, ibi Exodus: nec alia conditio desinendi, quàm nascendi. Quis enim senuit vnquam, nisi exacta virili ætate? Fructus ipsi non ante corrumpi faciles, quàm maturi: supremusque adeò perfectionis apex, prima est in occasum inclinatio. Diceres profectò naturam post ingentes partus lassam quasi & effœtam, quiete novali indigere; vt certi temporis otio reparata sterilitas, rursum redeat in genituram eorum quę rara sunt quia magna; quæque magna esse desinerent, si minùs rara existerent.

Fortaſſis & res omnes eò minùs exquiſitæ, quò magis ab *origine* recedunt. Scilicet fluviorum exemplo, qui præpeti curſu à ſcaturigine fugitivi multùm luti, vliginis plurimùm ſecum evolvunt. Ita virtutes & diſciplinę in primarijs fontibus limpidæ, puræ, incorruptæ: velut contagioſo inter Homines, & ætates decurſu maculantur. MOLAEO

XII VETERIS quoque ævi publica cenſura, Seculi ſimul ac *Iuventutis* corruptelas accuſat. Nec illud quidem iniquè, aut perperam. Qua enim ratione vrtutum ſapiētiſſima junget ſe inſipiētiſſimis, caſtiſſima impuriſſimis, occupatiſſima maximè deſidioſis: innocētiſſima demum, rerū turpiſſimarū vel meditatione, vel recordatione perpetuò laborātibus? Dolendū ſanè maxima ingenia ita in infantia domeſticis, in adoleſcentia vernaculis vitijs innutriri; vt turpes ſint, antequam homines: ignorentque natura, an conſuetudine malum didicerint. Nimirum in prima illa ætate fabulis, & erroribus illigati: in altera, vanitati, ac libidini penitùs mancipan-

ILLVSTRIS. tur. Et noſtrates quidem propria Gentis vitia jam ab vtero matris, vt ita dicam concepta, mox irrepentibus è ſeculi veneno contagioſis morbis vſque-adeo certatim cumulant ; vt inter eos perenne ſtudium ſit torpere deſidiâ, nō vlli honeſtæ rei invigilare:virilitatem emaſculare, non artes diviniſſimas addiſcere; & quaſi viros eſſe pœniteret, corporis mollitie, vocis effœminatæ blanditijs: calamiſtrorum, vultuſque affectata, & innaturali deformitate muliebres curas provocare. Immò vel in ipſis publicis ex fornice lupis, immundiciſſimas munditias ſuperare. Vſque-adeo veriſſimè, è Satyricorum plauſtro neſcio quis evulgavit ;

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

XIII VERVM tanti mali cauſas altiùs requirenti, *tres* inſuper potiſſimū occurrunt. Doctrinæ ipſius, ac Virtutis difficultas: pravus Hominum vſus, optima quæque à primario inſtituto detorquens; præcipuorum imperitia, qui ſe-

mel à recta methodo, & velut publica naturæ via exerrantes, proceſſu ipſo ſtudiorum longiùs (vt fit) à veritate & abducuntur ipſi, & alios errando deducunt. MOLAEO

Revera enim, quando Scientiæ vulgaris commercia ſolùm attentamus; XIV

Non ſex paratur, aut decem Sophos nummis.

Scientiarum radices amaræ, licet fructus in autumno ſuaviſſimi. Ardua ad Vitutem via; ipſæ quoque Muſæ idcircò virgines, quia voluptati ſteriles, in pręrupti montis vertice ſedem collocarunt. Vt Sapiens aliquis evadat, nihil ignorandum: vt Eloquens, omnia addiſcenda. Deus bone! quot, & quāti labores exhauriēdi? Frāgendi nuclei aperienda involucra, difficillimi quique Autores manu diurna, nocturnaq; verſādi, evolvenda antiquitas, Linguæ addiſcēdæ: Principes in ſeculo Viri, cōſulendi. Lectione, & ſcriptione vix interruptis, aſſidua meditatione, labore infinito Hiſtoriæ varietas, Dialecticæ ſublimitas: omnes deniquè artes ac diſciplinæ, capaciſſimo ſinu complectendæ.

ILLVSTRIS. Et mirabitur jam aliquis, per ſeculorum ſeriem magnos in virtute,& ſcientia Viros tàm ægrè reperiri, quàm faciles nominari. Ingenia namque vel vanis ſeculi artibus diſtracta, vel domeſticæ aut publicæ rei curis,negotijſque occupata,quantum loci & otij honeſtis relinquent Diſciplinis;quæ quietem, quæ laborem, quę totius vitæ partes: quæ Hominem integrum, vix etiam tantæ moli ſuffecturum, vendicant?

Nec inferior quidem altera mali labes, prava videlicet indoles Hominum; originali vitio nihil non à nativo, & legitimo vſu deflectentium. Anne fuit vnquam aliquid adeò ſacrum, quod ſuum non habuerit, aut invenerit ſacrilegium? Celeſtibus etiam donis abutimur, & noſtro vitio rerum optimarum pejor corruptio eſt. Non eſſe, ſed videri Sapientes plerique ambiunt: omniumque concurſus minor fit ad virtutem, quàm ad famam. Scilicet popularis auræ mancipia, aut privatis vtilitatibus mancipati, bona non ama-

mus, ſed plauſibilia, adeò in hujus ævi lance, honeſtis quæſtuoſa præponderant. Quæ priùs virtuti & doctrinæ caſtiſſimę ſacra erant, in noſtra ipſi commoda arripimus: & ita per fas ac nefas rerum inſtitutione, vt legitimo vſu abutimur. MOLAEO

Tandem, qui malorum cumulus eſt, omnes admodùm ad ſcientiam feſtinant non quà eundum, ſed quà itur. Vix in *Doctioribus* eſt qui nō ex induſtria aut ignorantia, fumos vendat. Orbita teritur, aliorum veſtigijs impreſſa; & velut errore ſucceſſivo, detritę paſſim cantilenę (bonæ an malę ſint ne examinatur quidem) tralatitio Sophiſtarum more Diſcipulis traduntur. Hinc ſcrupuloſa, præceptorum moles, quæ obrutos plerumque animos adeò inequali ſtudio partitur, vt nec in quam nati ſint artem cognoſcant: & dum vniverſas capeſſunt, nullam capiant. Hinc bonæ ſpei ingenia, in medio curſu retuſa: & judicia nunquam vnquam matura, dum in pueribus & ſæpè futilibus perdiſcendis memoria conſeneſcit.

ILLVSTRIS. Quàm multi, amabo, prodeunt ex litterarum incude dedocẽdi potiùs quàm perdocendi? Quàm multi larvã pro veritate, nubem pro Iunone frustrà insequentes; maximo rei literariæ damno deluduntur ab alijs, alios postmodum consimili errore decepturi? Pudet revera plerosque in eum dumtaxat scopum studendo collimare, vt sciant non judicij acumine, quæ rerum natura sit: sed ingrato & vulgari memorię beneficio, quid de rebus dicatur; quasi ambitio esset, evanidam velut in scena doctrinam profiteri. Extrema profectò virtutis & disciplinæ corruptela, è cujus sanie monstra pullulant ab vtrâque toto Genere degenerantia. Quid enim aliud ejusmodi sciolis, ac locutuleis relinquitur, nisi.

Infelix simulacrũ, atque ipsius vmbra Creusæ?

XV Nondum tamen effœta est vel natura, vel ætas. Nec desunt in hujus caduci seculi pœnitenda sterilitate, Viri benemulti; qui declinantia Literarum studia, pristino splendori restituere conniuntur.

Ego

Ego quidem nec præteritorum admiratione, nec præſentium deſpectu abducor. Omnia prorſus ſecula pari apud me pretio ſtant, nec ſuſtineo cujuſquam autoritatem verti in veritatis præjudicium. Inter doctrinæ candidatos vnumquemque Spartam qúam nactus eſt, pro genij impetu aut ingenij ornare permitto. Nullius laboro invidiâ, cùm meæmet tenuitatis conſcius ſatis intelligam; bonæ menti litandum potiùs, quàm eruditæ. Diu enim eſt, ex quo celeſti docente oraculo didici, vacuos & inanes Scientiarum tumores; ni charitatis ſucco, & ſanguine oppleantur. Quidquid illa caſſo labore molitur, primo quoque momento ruiturum, niſi meliori ſtatumine fulciatur. Et cùm ea vniverſa quæ vel natura ingerit, vel vſus inprimit, vel meditatio infundit: minima pars exiſtat eorum, quæ vel à ſcientiſſimis ignorantur; mihi revera ſatis plures ante annos fuit, ſi in vltima philoſophantium cera locus concederetur. MATTH. MOLAEO XV.

ILLVSTRIS. XVI

EFFECIT nihilominus inter occupatæ vitæ munia, ſtudioſa contentio; vt veluti per crepuſculum, apparuerit mihi vmbra quædam *Sapientiæ Vniverſalis.* Ea nimirum, quantum capere potui, compendioſo itinere ſic rerum omnium naturam rimatur, vt vnam inveniat vbivis gentium veritatem: & licet variegato colorum artificio conveſtitam, tam felici quàm facili eloquentia evolvat. Cùm enim parens naturæ DEVS effigiem ſui rebus omnibus indiderit, & eas magico quodam nexu inter ſeſe copulaverit; mens ſanè Hominis omnium capax, fruſtra rebus diſtrahendis ſe ipſam partitur, quæ *vnam* in triplici Mundo veritatem: nec non ijſdem tramitibus propagatam vno, eodemque naturali intuitu poteſt contemplari. Et fucos quidem fecêre Scientiarum primarij, qui eas vel in devia montium cacumina ablegant, vel in puteorum abdita demergunt. Vltrò occurrunt ipſæ, caſtiſſimos amplexus offerunt: & non omninò terræ filios, velut adoptionis jure, illuſtri familiæ

vindicant. Testes apello magna illa Sapientum nomina, qui animam in se recedentem omnia & scire, & continere posse prædicant: qui infusa nobis, & innata quædam virtutum semina profitentur; qui Hominis mentem omnia cognoscendo fieri, vel nullo contradicente, asseverant. More tamen mysteriorum obscurioribus velamentis involvi pretium fuit, ne sacratissimæ Disciplinæ familiari contemptu vilescerent. MATTH. MOLAEO

XVII Deponebam certè tunc in sinu tuo, VIR AMPLISSIME, fecique non semel abundantiùs in varijs exindè occasionibus; quibus rationum momentis *unicam* esse Sapientiam, è qua facilis Eloquentia exundat, mihi olim persuasum fuit. Viarum compendia intelligo, quibus modico labore, nec multo tempore, pervenitur ad consummatæ Eruditionis fastigium. Quomodò educenda sit veritas è sacrarijs, in quibus latet ad sui, nostramque reverentiam. Quonam discrimine, post contracta Encyclopediæ studia, alia sint

ILLVSTRIS, vulgaris Eloquentiæ præcepta: alia Lullianæ Artis tot ingenijs condemnatæ, quia plerisque ignotæ; alia demum Secretioris, & fortè rerum naturæ, ac veritati magis vicina. Atque vt ejusmodi numeris omnibus absoluta SAPIENTIA (quæ secundùm pietatem duas Scientiæ, & Eloquentiæ partes complectitur) in summum decus efflorescat; quonam apparatu dispositus à me is Disciplinarum orbis, affectu longè calidiori, quàm Patrum ævo America, conquirendus.

XVIII HAEC nimirum otia solitudinis meæ, & in Scientias inclinantis quondam naturæ conatus approbasti. Immò, quæ tua est incredibilis humanitas, vt totius *Operis* gustum darem jam olim rogasti dicam an imperasti? Paruj ante annos plures, nostrum Prœmessum privato paucorum examini committens; quod non incerto omine sub faustissimis inclyti Nominis tui auspicijs, in justam deinde molem excrevit. Neque interim ita mihimet in sinu abblandior, vt

rem literariam, aut animarum salutem nostra hac qualicumque meditatione & experientia auctam iri, vel somniando cogitarim. Sed quæ mihi primò, paucis deinde φιλομούσοις, maximè Carmeli nostri Alumnis interrupto studio, horisque successivis paulatim apparavi; publicæ censuræ submisi, charissimo Nomini tuo inscripta. Nempè vt sciant Mortales, me sincero pietatis affectu Virum in te coluisse nostro seculo supra reliquos amandum, venturis desiderandum. Vale, & vive. IN PRAETORIO TVO CHAMPLATRAEO, PRID. KALEND. NOVEMBR. AN. M. DC. XXXIV.

MATTH. MOLAE.

ILLVSTRIS.

EXIMIO, GENEROSISSIMOQ; COMITI BRIENNAE, LOMENIO,

Regi, & Regno à Secretis.

HISTORIO-CHRONOL. CLASSIS SEXTVPLEX.

XIX

TEmporum, rerumque gestarum notitia, EXIMIE IVXTA ET GENEROSISSIME COMES; privatam domi Prudentiam juvet-ne magis an foris publicam, tuum est dijudicare. Eo si quidem Parente genitus es, ijs Disciplinis à prima ætate instructus: perque sanctissimum Matrimonium insertus Prosapiæ adeò illustri, & inclytæ: sic demum continuò rebus Palatinis, totiusque Regni negotijs abs genio, & officio innutritus; vt partes omnes civilis Philosophiæ nemo te aut meliùs scire, aut faciliùs explere queat. Accessêre ex gratiæ præventu, cultuque

fides in Numen & Regem: pietas in Ecclesiæ, & Asceticæ propria: virtus in singulis, æquitas erga omnes; quæ cunctos, me verò in cunctis, meique præsertim Sodales Instituti, ad tui & reverentiam, & amorem arctissimè constringunt. BRIENN.

DVM ergo plures me annos detinet studium veritatis; ad hujus imaginem, quæ Historia est, subinde reflectendum fuit. Sit illa sanè magnorum Virorum consensu, *testis temporum, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis*; non ægrè etiam tibi, & in te recognoscetur, me nomēclatore, mater ciuuslibet virtutis, nutrixque ante omnes prudentiæ. Vnde & ipsa non jactantiùs, quàm veriùs de se prædicat;

Me sine quis prudēs? Vnde experientia maior?
Quis me adijt tandē, nec mage doctus eat?
Omnis nam nostro pendet prudentia sensu,
Riteque nil, nostra qui caret arte, sapit.

Sapis igitur non parum, VIR EXIMIE, quia apprimè ævi vtriusque calles Historiam; cuius & vitæ series perpetuis virtutum exemplis intertexta, benè de

rebus divinis & humanis sentiendi; ILLVSTRIS. comprimis verò optimè agendi posteris regula, normaque extiterit.

Quamobrem immensa Historiæ cujusvis, quasi dispersa corporis membra, à me collecta in vnum; subijcio tuis oculis, acumini, judicio. Esto, fortassis actum iam agat ejusmodi *Summa Historiæ-Chronologicæ*; inde saltem consequeris, COMES GENEROSISSIME, quanti virtutes in te & Christianas, & Civiles existimaverim. Intelligentq; alij passim, quo in loco reponam tuæ erga nos, resque nostras benevolentiæ ac protectionis beneficia. Quare quidquid illud est, tuo Museo consecrare decrevi, & per te publico ac posteritati. LVTET. PARIS. IX. KAL. NOVEMB. AN. MDCXXXVII.

ILLVSTRISSIMO

ANTONIO NICOLAIO,

In Suprema rationum Curia

Præsidi Primario.

VIolavit ſolitudinis meæ pudorem humanitas tua, PRAESES ILLVSTRISSIME, quæ pridem hæreditariæ dignitati abs non quotidiana virtute ſic affuſa eſt; vt minùs jam deterreat meritorum celſitudo, quam provocat officij mei religioſa neceſſitas. Ita enim (quandoquidem ſcire aves, & jubes) ſeverioribus Diſciplinis voto ſum addictus; *vt elegantiores Muſas*, vel animi relaxandi gratiâ ex intervallo volupè ſit delibare. Nuncias quoque, & audio lubens, Genium tuum, tametſi majoribus ſemper vel curis, vel ſtudijs intentum, ad hæc ta- ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ XX

men lèviora ſubinde divertere. Fateor
ILLVSTRIS. enim candida, hoc eſt, Carmelitana
fide, ſic me Seculi fucos & fumos, aſpirante Numinis gratia deſpicere; vt ad magnas Mentes, velut expreſſimas Divinitatis imagines, nunquamnon aſpiciam. Hoc albo & à natura, & à cultura feliciter te aſcriptum norunt omnes, qui clariſſimum Nomen tuum haud ignorant. Ac illius quidem ſplendor, inter Secretioris Sophiæ vmbras deliteſcenti mihi tantus affulſit; vt noſtri in hacce Laura calami primitias *Latinitatis tuæ* radio ſplendidiùs, illuſtrari, plena ſit felicitas.

Occupaſti, VIR MAXIME, animi mei propenſionem; ingratus verò ſim, ſi mutus, aut elinguis. Nam licet meritorum faſtigio ſubvectum, vix auderem tenuiori adorea ſollicitare; fiduciam nihilominus injecit prolixa adverſus omnes humanitas, in me verò ſupra fidem, ſupraque expectationem ſingularis.

XXI IAM olim legendo didiceram *Nicolaiorum* nomen ſic gratijs, Muſiſque

litavisse; vt aliud vix vllum nostra protulerit Gallia vel humanitate suavius, vel conditione illustrius. Illud nobili Prosapiæ inspirarũt insignes Viri, quos succedanea seculorum serie, à primo maximè Neapoli Francorum Cancellario, Annales concelebrant. Istud cumulatiùs in te demirantur, quotquot vel Suadâ ipsâ ore tuo eloquente attoniti, vel ad penitiora πολιμαθείας Semnæa fuere admissi. Effusam in me tametsi ignotum Hominem, vtriusque benignitatem bono DEO acceptam fero, tibique gratias refero immortales. Perbeatè scilicet mecum esse actum existimans, si quod arcana vis animi gestiebat, tuique genij reverentia imperavit; quæsitæ dudum secretioris Εγκυκλοπαιδίας studium, defęcato tanti Viri judicio probari queat. Vale, & terris diu, celo æternum Vive.

ANTONIO NICOLAIO

Ad Eundem.

ERgo-ne supremum nostri monumenta laboris
Hoc meruere decus, quod tu Doctissime Præses
Non temnenda putas; sacris quæ fontibus hausta,
Francigenis præcepta dedi. Dum Numinis aura
Afflatus, magnique sequens vestigia Pauli
Triplicis aggredior celi penetrare recessus.
Scilicet angusto vicini carcere claustri
Cluso, per spatium mundum amplectentis Olympi
Ire iuvat; tenuique licet committere chartæ,
Quæ nos Carmeli docuere silentia montis.
Hìc castos mores, sincerique abdita ritus
Pandimus, & vitæ sacros aptamus in usus.
Non quæsitus honos, nec inanis gloria vulgi:
Non flores, lepidosque iocos, doctas-ve per Artes
Eximijs placuisse Viris facundia tentat.
Sed mihi cura fuit, sancto virtutis amore
Efformare animis decus inviolabile vitæ.
Attamen ista mihi, fateor, pars maxima voti:
Iudicium subijsse tuum, Flos lecte Virorum.
Quem dudum tacitæ coluit reverentia mentis,
Inter & Heroas meritò quem Gallia iactat.
Nomen namque tuum præclaro Stemmate signat
Conspicuus sanguis, vel quæ laus propria Gentis,
Ordine bis terno, veterique propagine Patrum

Ductus honos; quem in te collustrant laude perenni
Incorrupta fides, & ineluctabile pectus.
Tum nivei mores animi, quos fronte serena
Expandit mens plena sui, plenissima cunctis
Artibus; vt divisa alijs tot munera celi,
In te mixta fluant; cùm Legum oracula fundis,
Seu cùm Nestoreo Populi, vel Principis aures
Eloquio mulces, Gallis velut Orpheus alter.
Publica vox testis, nostri tu gloria Regni,
Tu decus Imperij. Nam quicquid Grecia iactat,
Quicquid Roma docet; solo te Maior habendus,
Vnus habes, vnusque doces: & summus vbiquè,
Ingenio superas veteris miracula secli.
Has igitur dotes, Vir Maxime, gratulor; vtque
Aeternùm crescant, supplex rogo Numen amicum.
Tu bonus officij ne spernas debita nostri,
Sed magis ipse favens nova suscipe vota Clientis.

LVTET. PARIS. XII. KALEND. AVG.
AN. MDCXXXII.

ILLSTRISS.

NOBILISS. SAPIENTISSIMOQ.

HENRICO MEMMIO

Senatus Parisiensis, ac Literarij

Præsidi Nominatissimó.

.MISSVS DE ORDINE RERVM AC SCIEATIARVM
XXII

QVI diffusum per omnes Mundi partes animum Ordinem appellavit, ILLVSTRISSIME PRAESES, non tam certè ex ipsius naturæ genio, quàm ex divinæ veritatis oraculo locutus mihi videtur. Ita nimirum Supremus Artifex, rerum vniversitatem arcanis inter se vinculis colligavit; vt eas ex nihilo condidisse, & continuatæ sobolis propagatione ab interitu vindicare *Ordinis* sit prærogativa. Neque verò summæ illius Divinitatis opera in vtriusque Literaturæ paginis, alio prorsus charactere videas insigniri. Quæcumque enim hinc inde visuntur naturæ

miracula primi Autoris amore concepta, poteſtate effecta, ſapientiæ legibus diſcreta, definitaque ita perſeverant; vt meritò ipſa etiam Platonis inter Patricias Familia, Numen agnoſcat in rerum genitura per omnes partes Mathematicum. Quaſi mens fuerit Creatoris, æterni partus leges æternas in rebus caducis: virtutum Ideas, Idearumque ordinatiſſimas ſeries, naturæ penicillo tranſcribere in vmbris Creaturarum, & alioquin malè cohærentibus ſimulacris. Abſtruſior quoque inter Hebræos, ſeculique Vates diſciplina, Deos inter majorum Gentium Apollinem ſuccenturiat impia minùs quã religioſa Apotheoſi. Quippe Numinis officium eſt aureâ catenâ nectere quidquid in Orbe provocat admirationem, & perennibus commiſſuris ſociare diſcrepantia. MEMMIO.

HINC magna Mundi anima per ſingula ſe ſe membra feliciſſimè inſinuat, rerum naturas ſuſtentans, ſeries digerens, officia diſtinguens, facultates vegetans, celum, terramque permeans:

ILLVSTRIS. & ſuavi haud minùs quàm efficaci influxu, cuncta ſtatu inviolato ita diſponens; vt tam ſpontaneo quàm neceſſario tramite, à primæva origine in vltimum porrò finem excurrant. Annon puriſſimas Mentes à contagio mortali defœcatas in certas Claſſes, Tribus, ac Decurias Hierarchicus Ordo diſtinguit, & Tertulliani elogio Politia celi partitur? Ipſi celeſtes Globi tanto ſeculorum contextu gyrantes in Orbem ſe ſe evolvunt, quia ratas primæ nativitatis leges ſacramento inviolabili fideliſſimè conſervant.

Machina perpetuo celeſtis ab Ordine pendet.

Crediderim ego, corporis hujuſce immortalis animam eſſe *Ordinem*. Neque alio propemodùm fine Angelum illi additum, quàm vt Pythagorici concentus arcana Mortales edoceret. Elementorum quoque mirabilis temperatura, quam felix Nomenclator Baſilius *ἀλληλουχίαν* appellat; naturæ ſuæ Conditoris gloriam muto, ſed eloquenti ſilentio enarrat. Sive dum aër ſuſpenſus libratur in medio, ſive dum

aquæ

aquæ ſuo ſibi curſu fœnerantes refluunt in Oceanum, ſive dum proprijs fixa radicibus terrena moles conſiſtit: aut dum alternantes diei noctiſque vices, ſortis humanæ tædia ac ſolatia diſcriminant. MEMMIO.

Mitto quæ in politicis, moralibuſq; Diſciplinis, tantæ veritatis argumento teſtatiſſimè ſuffragantur. Veſter ipſe Purpuratorum Cœtus, PRAESES ILLVSTRSSIME, dum Iuſtitiæ Mortalibus diſtribuendæ, quod in DEO ſummum eſt, æmulatur; citra Ordinis leges, juris & æqui normas nec amari debet, nec poteſt formidari. Adeo-vt ſi Peripatetico dicere non fuit nefas, Solem è mundo tollere, qui juſtitiam tollit: haud minùs veraci eloquio pronunciandum ſit juſtitia, quanta quanta eſt, totam Ordine fulciri; vt ſi cadit iſte, illa ruat: ſi extinguitur, intereat, & vniverſa Mundi pulchritudo, veteri confuſione damnetur. Nec Mars ipſe mutuis Populorum cædibus cruentari, nec pax glorioſè ſuís peteſt invehi triumphis, niſi ſolemni ad vtrumque

ILLVSTRIS- Ordinis paraturâ. Quid quod in ipsa demum Ecclesia Ordine nihil augustius, Ordine nihil sanctius? Nam inter Sacramenta, Ordo nuncupatur ceterorum parens: illustriorque Christiani gregis portio, tantæ rei & nominis majestatem hodieque retinuit. Vt verissimè dixerit Nilus ille inter ipsos Ascetas genere, doctrina, & sanctitate inclytus; *Ordinem si vlla in re, in Religionis cultu maximè esse necessarium*. Et qui legitimum vult Institutionis Ordinem servare, non à fine debere ad principia proficisci, sed à principiis progredi ad perfectionem. Quasi Ordo aliud esset nihil, docentibus Speusippo & Areopagita Dionysio, quàm rerum omnium ad vnam causam relatio: vel rerum continuatio, à principijs ad finem per media decurrens.

Atenim approbatũ istud effatum non alibi verum magis, quàm in Scientiarũ Εγκυκλοπαιδεία. Quæ enim ætas ex omnibus retrò seculis aut magis voluit addiscere, aut minùs potuit perdiscere. Fervent iam vbiq; Literarum commercia,

toto pectore ad Eruditionẽ anhelatur, contentiosè curritur ad Academias; ne multa; ſtudioſo hoc ſeculo acervi multi, pauciMercurij: vel vt habet vetus verbũ, πολλοὶ μὲν θυρσοφόροι, παῦροι δὲ βάκχοι. Ingens Doctorũ plauſus, ſterilis Doctrinę fructus: ſpiſſa paſſim ignorãtia, Doctrina vix vllibi aut ſolida, aut ſincera. Quid porrò cauſæ? Ipſemet, VIRORVM DOCTISSIME, labris illis Neſtoreis, quibus ſoles cetera Themidis & Eruditionis oracula, ſapientiſſimè velut ex vtriuſque ſolio pronunciaſti; doctrinæ ataxia, Diſciplinarum confuſio: in Studijs, inque Studioſis Ordinis defectus. Illa, illa eſt profectò prima mali labes. Totus namque Diſciplinarum apparatus eum in ſcopum collimat, vt in ipſa rerum & entium conſtitutione Ordinem reperiat; quem mox in noſtris mentibus, per certos lineamentorum ductus ſeriatim adumbret. Illud eſt ſanati iam animi temperamentum, ſuis pulchritudinibus effloreſcens. Is eſt eruditi Hominis vultus, qui vnus re & nomine Viros repræſentat; quia inte-

MEMMIO

rioris animi proditor secretiora tradu-
ILLVSTRIS. cens, vitæ totius præiudicium est. Quocirca & hunc in modum libet ratiocinari.

XXIV Scientiae vel nobis innatæ, vel foris adventitiæ. Si, vltimum, Disciplina naturæ simia; suis ipsa regulis, præceptorumque ordinata serie constringitur. Si primum, *Ordo* genuinus naturæ character. Natura sui Autoris æmula, veritas naturæ assecla, cognitio veritatis vmbra, elocutio cognitionis imago; fontem rivi imitantur, res discendas à nobis, vt in se sunt, alibi à me probatum. Quæ igitur sine Ordine esse nequeunt, citra Ordinem ab Homine sciri qua ratione poterunt? Hinc Symbolicæ Philosophię Princeps, perpetuâ damnat ignorantiâ qui nescit numerare. Hoc nimirum est, si quid sapio, qui nescit rerum series indagare, juncturas agnoscere: Ordinem in ipsis vel constituere, vel iam constitutum enucleare. Immò verò cùm Ordo sit vt rerum, sic Scientiarum mens & anima; quo Ordo major, eò major

Disciplina: certior eruditio, amplior doctrina. MEMMIO

Prima siquidem Philosophiæ nos docent rudimenta, ex varijs inter Homines experimẽtis fluxisse Sapientum animadversiones: ex præteritis observationibus, præceptiones in futurum; ex confusis, minus-ve discretis præceptis, pauca, certaque principia mole quidem modica, sed virtute maxima. Est autem Ordo principiorum vel mater, vel proles. Nam rei cujusque virtus, quasi vires colligeret ynione, & secum intima coniunctione invalescit: seque ipsâ divisâ, longè fortior evadit. Quidnam porrò discrepantia conjungit, nisi Ordo & series? Vide Musicam, vide Picturam, vide domos arte & industria elaboratas. Et amabo, quid aliud Scientia est; quàm principiorum ynio, præceptorum collectio, observationum cumulus, acervus experientiarum; deniquè horum simul omnium certa lex, Ordo perennis, & inviolabilis constitutio. Nec aliunde profecto suas immobiles Disciplinas, XXV

ILLVSTRIS. fixas, firmasque naturæ genius Aristoteles asserit. Adeo-vt feliciores, facilioresque sint Disciplinæ, quò magis per Ordinem conjunctæ & vnitæ.

Mitto protritas in Scholis rationes, quantum sit videlicet in Ordine Studiorum, temporis, laboris, memoriæ, vitæque compendium. Exhaurit certè Hypocratis querelam, vel alterius nescio cujus morientis Philosophi; de vitæ inter Homines brevitate, Artiumque difficultate postulationem. Hoc verò vnum quod restat, adjungendum majoris apud te, VIR SAPIENTISSIME, ponderis, qui omnia ad exactissimam

XXVI Iustitiæ lancem põderas. Animus corpori nostro infusus è mente divina radius est, qui Promethei furto dives nativos in nobis igniculos accendit; quique à recto deflexi, vel in Protoparentibus fomites fuêre peccati originalis. Hinc arcano, interdum etiam ambitioso instinctu omni-scientiæ, quã præsentit in Autore suo, vestigia licet à longè consequitur; cùm æterni illius consilij, & radicalis Sapientiæ particeps fieri allaborat.

MEMMIO XXVII

ENIMVERO quia triplici temporum fugacitati obnoxius Homo eſt, tunc demum Sapiens eſt divinæ Scientiæ æmulator; cùm Ianus veluti bifrons notitiam adipiſcitur præteritorum ac futurorum, vt pręſentia ſincerè dijudicet. Ergo qua neceſſitate efficitur veritates non poſſe ad nos derivari, niſi per diſtributa temporis intervalla: illâ ipsâ virtutum, ſcientiarumque *Ordo neceſſarius* vtiquè comprobatur. Omnis namque Ars ſeu Diſciplina aut paulatim ſtudendo comparatur, aut mox feliciter iam acquiſita feliciùs augetur perficiturque. At in vtroque Ordinem tam neceſſarium, quàm Homini vitam acerrimè conteſtor. Si enim Scientiarum turba tumultuariè animum ſubit, illius lumina proculdubio confundit, caliginem offundit pluſquā Cimmeriam. Quòd ſi certa ſerie & Ordinis diſpoſitione Scientiæ inſtillantur, ejuſdem certè Ordinis beneficio conſervari neceſſe eſt; cùm generationis ſimul ac conſervationis, eadem ſint elementa. Atque ea propter geminus

ILLVSTRIS est in Homine sensus, *oculorum scilicet & aurium*; quem vtrumque Disciplinis idoneum, nuncupant Aristotelici. Non alia vtiquè de causa, quàm quod sive colores, sive soni neutrum afficiunt vt avet, jubétque natura; nisi præclarâ mixturâ, & designato Ordine temperati.

Verùm subest & profundior speculatio. Humanum-Genus, vt antea prælibavi, *trinam* dumtaxat temporis dimensionem scire interest; præteritum, præsens, & futurum. Præteritum cum olim futuro, certis legibus circumscriptum est. Quod præsens creditur, vix quicquam; quia in fluxu continuo ac præpeti fluit, fugit, præterit, avolat. Ideo alis à Poëtis, Pictoribusque instruitur: & nihilominus temporis proles, veritas appellatur. Quia nimirùm per sensus in Homine ordinatissimos, velut per naturæ tubos seu canales, Hominum mentibus instillatur. Per oculos intrat, quod præteriti est ac futuri: per aures, quod in præsenti rei veritatis & cogitationis mo-

mento decurrit. Ordinem porrò ocu-
lis, auribusque necessariò accommo- MEMMIO
datum, mox demonstrando evince-
bam.

Ex quibus certissima conclusione
elicitur generandis, propagandis, au- XXVIII
gendisque, ac perficiendis in Homi-
num mente Disciplinis; *duplicem* repe-
riri viam, sed vtramque necessariò ab
Ordine dependentem. Prima Homi-
num, ministerio per aurium traduces
Discipulorum mentibus cognitionem
ingenerat; nec enim sola Scientia re-
velata, ex auditu est. Altera oculis vti-
tur; vt dum in veritatis intuitu & con-
templatione diutiùs immoratur; Sciẽ-
tiam numeris omnibus formatam per-
ficiat, absolvatque. Quod auribus in-
stillatur, effluit cum sermone *Precepto-
ris*: quod percipitur oculis, naturâ suâ
perseverat. Vnde quia tam ipsamet
veritas, quàm discendæ veritatis ordo
regnat in vtroque sensu, tametsi in
oculis magis: vtrique methodi, certi-
que Ordines sapienter assignantur.
Homo Homini DEVS (vt Pater æter-

ILLVSTRIS. nus, ſuæ proli Verbum & doctrinam generando inſpirat) alium docet, quà loquendo, quà ſcribendo: eloquentiæ & ſcriptionis anima, Ordo eſt. Res fluxæ meliores dum fiunt, permanentes dum factæ ſunt. Novis itaque in Diſciplina Iuſtinianis, opus crediderim *Magiſtro*; qui paulatim ſucceſſu temporis ea quæ ſenſibus & imaginationi in Pueris maximè vigentibus, vicina ſunt & quaſi præſentia, ideoque labentia, primùm edoceat. Deinde Libris, Bibliothecâ, exercitio; quorum matura, ſæpiùſque repetita conſuetudine formatus iam Muſarum Alumnus; præteritum advocans in conſilium futuri, reflectit ſe in pulcherrimarum rerum cognitionem; quâ cæteris major ſeipſo fruitur, Deo cognatus. Hinc ſolemnis paroëmia, Hominem doctum vivam eſſe Bibliothecam: Libros eruditos Doctores eſſe, vita mortali defunctos; quibus convictores, qui & concolores fieri oraculum edicit. In vtroque igitur vt Scientia ſimilis eſt, ſic Ordo haud abſimilis.

Quamquàm quia Scientiæ finis est veritatis cognitio, Ordo verò præsertim Hominum industriâ variè conquisitus; via dumtaxat, modus seu *methodus* veritatis cognoscendæ, Scientiæ acquirendæ; pręclaro istud discrimine relinquitur. Dum Scientiæ vnà cum Discipulis, adhuc velut in Ephebis existunt; multiplici Ordine, varijsque methodis constat indigere. Vbi verò positâ, si fas est, prætextâ evanuit pueritatis infantia; Viri iam facti quanto magis germanam veritatis notitiam acquirunt, tanto magis exonerant se præceptorum sarcinâ: receduntque, vt Sapientiæ vacent, à vaga & multiplici Scholarum pædagogia. Norunt quippe ex Vniversi contemplatione, Ordinem quo magis vnum, simplicem & indivisum; eo etiam esse magis naturæ vicinum, veritati amicum, Scientiæ sibimet vnitæ concatenationi & æternitati idoneum. MEMMIO XXIX

Et hæc vna in multis ratio est, Praeses Illvstrissime, quæ me pridem impulit; vt non quotidiana animi XXX

ILLVSTRIS. contentione, paucis (ita favit Numen) odiosâ, quia nulli inimicâ; vnius, simplicis, generalisque Veritatis, Sapientiæ, & Eloquentiæ *Ordinem* velut Scientiarum certissimam methodum investigarim. Suffenis placuerim nec-ne, non ita sum religiosus aut sollicitus vt anquiram. Scio enim divino docente Mystagogo, singulos sensu suo abundare, fœcundissima opinionibus Hominum cerebella. Nam infit ille;

Velle suũ cuibue est, nec voto vivitur vno.

Verùmenim post degustatum à cordatis Viris nostrum Encyclopediæ *Præmessum*, ne distractum ad alia Studium in Opere inchoato rubiginosè ferietur: pretium operæ facturus mihi visus sum si tuis, VIR MAXIME, Imperijs obsecundans, has rudiores Ordinis lineas, tam obsequenti manu, quàm officioso animo adumbrarem. A te nimirùm qui stupendâ πολυμαθεία dudum superasti reliquorum apices, lumen & polituram. Immo ipsummet Ordinem à te, inquam, velut Scientiarum parente, & Apolline; hoc est animam,

vitamque expectabunt. Vale interim & vive.

Heroum soboles, Procerum generosa propago,
ERRICVS *nostro celebratus* MEMMIVS *Orbe.*
Numine cælesti concessus, vt aurea secla
Restituas terris, & Franci Lilia Regni
Illustres titulis maior; quem purpura reddit
Conspicuum, & veteris spirans virtutis imago;
Vt Sol exoriens Stellarum lumina condit,
Sic meritis ævi superas miracula nostri.
Mortalem vt vidit suprema Numen ab arce
Enatum, cunis infudit maxima Cæli
Munera, quæ maturæ exornant tempora vitæ.
Maiorum nomen, præclaraque stemmata lucent
Inde decus Themidis, mentis Constantia, Musæ
Vix alibi notæ, remanet in pectore MEMMI.
Sic felix terris vivit, celoque beandus.

LVTET. PARIS. XI. KAL. DECEMB. AN. MDCXXXVII.

ILLSTRISS.

PRÆSTANTISSIMO NICOLAO BAILLEVLLO PRÆSIDI.

ETHICA ARISTOT. I

LOnga virtutum æquè & annorum serie explorata dudum vita tua, VIR PRAESTANTISSIME, satis per seipsam ostendit Moralis Disciplinæ institutum honestam vivendi rationem Homines edocere, probis moribus informare: atque per ejusmodi auxilia perducere ad statum hac, illa-ve ratione felicem. Quia enim spectatur nostrum quisque vel seorsim & absolutè, vt singularis & individuus Homo est: vel cum respectu domestico, vt familiæ pars: vel cum Politico, quatenus membrum multitudinis; rectè Scientia Morum, statuitur *triplex*. Monastica cujusvis privati Hominis: Oecononica, intra domesticos Lares; Politica,

quâ nectitur Societas civilis. Sed verò quoniam ſerie naturali abſolutum anteit relativo, individuum multitudini, publico privatum: nec alijs bonus eſſe poteſt, qui ſibi nequam; inchoandum haud dubiè, abs privata Hominis cujuſque inſtitutione & Diſciplina. Hanc aliàs ſolemni apud nos Tractatione partiuntur Finis, cui totum quod benè & ſapienter vivitur, intendi debet: Principia, queis inniti par eſt; Media, per quæ à carceribus ad metam, ab initijs ad finem poſtremò devenitur. BAILLEVL.

PRINCIPIO equidem nihil vſquam eſt quod non agat in *finem* ſibi vel à neceſſitate, vel à libertate præſtitutum. Sic videlicet elementa, lapides, plantę, arbores nativo feruntur impetu; quo manu Conditoris deſtinantur, in commodum Vniverſi ſimul & Hominis famulatum. Animalium porrò generi ineſt quædam, ſi fas eſt dicere, rationis vmbra; quæ quâ ſupremum inferioris gradus infimo ſuperioris annectitur, relucet in eorũ vi imaginatrice. Exin II

ILLVSTRIS. ſenſus exterioris miniſterio, varios mo-
tus ciet Brutorum Phantaſia: par-
tim ad incommodi fugam, partim ad
proſecutionem præconcepti ſibi com-
modi; à quo nonniſi violentiâ, metu-ve
retrahi queunt. Immò quo *nobilius* a-
gens eſt, fine movetur præſtantiori.
Adeo-vt ſupremum Entis apicẽ DEVM,
vniverſa propter ſemetipſum neceſſe
ſit operari. Nempe res omnium per-
fectiſſima, finem quoque abſolutiſſi-
mum debet intueri: ſed profectò ex-
tra ſe, nullibi requirendum. Qui mox
ab eo primi ſunt Spiritus Angelici ma-
teriæ immunes, naturæ intelligentis
prærogativâ; dum debito fini adhæ-
rent, felices evadunt: miſeri, ſi exci-
dunt. In vniverſum tota quanta quan-
ta eſt Naturæ moles, nihil vnquam
fruſtrà tentat, nihil incaſſum aggredi-
tur: nihil irrito, aut fortuito conatu
molitur. Sed ſemper ſecretiori inſtin-
ctu, nec vſquam intermorituro, pergit
ad deſtinatum ſcopum; quem illius
cunctis operibus præfigit publica Or-
bis vtilitas, ad ſupremi tandem Condi-
toris

toris decus & obsequium referenda.

Quid igitur? *Homo-ne* solus in vniversis, proprio sibi fine destituetur? Immò verò naturæ pars optima, suique Autoris expressissima imago: in vtriusque Dei & Naturæ officina, cujuslibet motus exemplar, seu ideam reperit; quam, quoties operatur, velit nolit, necessaria imitatione repræsentat. Intende, si lubet, tot & tam diversa indies, in horas, in momenta quotidianæ vitæ exercitia. Certè nullum absque consilio, sine scopo ac fine prorsùs nullum. BAILLEVL.

Est aliquid quo tendit, vel quo dirigit arcū.
Nec passim sequitur cervos.

Detur Hominis actio indeliberata, incogitata. Somno, coctioni, dejectioni incumbat: moveat oculos ad subitum fulgur, aliud omninò cogitans, manum ferat, quò eum dolor pungit, lancinat bestiola, aut impetigo pruritat. Motus illi sunt in Homine naturæ partim vegetantis, partim sentientis; quibus suo munere defungens, quod sentit commodum secreta ac perenni solli-

citudine procurare ſibi allaborat, noxium averruncare. Iam actiones illæ magis elaboratæ (*humanas* nuncupant) quoniam à ratione exeunt, & cum consilio; quam neceſsè pendeant abs fine aliquo haud perfunctoriè probat aditialis, eaque *tripartita* penes Ariſtotelis Nicomacha, cujuslibet inter Hominos inſtituti diſtributio.

ILLVSTRIS.

Aut enim contemplationi rerum pulcherrimarum immoramur, aut artes exercemus, aut ſtudemus virtutum paraturæ. Quid porrò horum certo aliquo ſigno & termino, cui agens intendat, non definitur? Qui Luparam ſtruit, Regi metatur hoſpitium: qui medicinæ navat operam, ſcrutatur aut notitiam naturæ, aut Hominum ſanitatem. Nec vllus revera niſi veritatis amore, remotis à ſenſu Diſciplinis incumbit. Poſtremò algeret vtiquè virtus, tametſi laudatiſſima, nî alicujus tandem felicitatis mater ab vnoquoque crederetur.

III. Qvia igitur varia Hominum inſtituta ſunt, *complures* quoque idcircò me-

tæ prçstruuntur. Adeo-vt fines Nobiliorum emineant. Et vbi occurrit subordinatio, princeps finis semper potissimum exoptetur. Quotus enim quisque nesciat vallum, fossam, equitum turmas, peditum phalanges, agminum discrimina; vno verbo, quidquid Ars bellica meditatur, ad expetitam victoriam omninò destinari? Herbarum vires examinaret nemo, nec curiosâ nimis carnificinâ Hominum visceralem lanienam tantaret; nî spes procurandæ aut veritatis, aut valetudinis ad innocuũ scelus impelleret. Quisquamne verò satagit affectus immoderatos cogere in gyrum rationis, pacem domi fouere, foris præclarus haberi; nisi qui de beata, ac felici vita seriò cogitat? BAILLEVL.

Agere igitur propter finem, si *absolutè* sumas, omnium omninò rerum quç quidpiam operantur, proprium est. Vtpotè quæ intendunt ipsamet ab intrinseco, vel forinsecùs diriguntur in aliquod bonum. Etenim prima causarum, cui ceteræ subordinantur, finis est; eundem propterea in Practicis lo-

ILLVSTRIS. cum obtinens, quem primum in Speculativis principium. Agere verò ob finem ex proprio marte, motu nativo, & fixa deſtinatione; ad eam ſpectat naturam; quæ ſuo ſe movet conſilio. Ejuſmodi nempe ſola eſt *Intellectualis*, modò tamen deliberatè agat, & cum prudenti animadverſione.

Id facit vtiquè, cum innatis ſibi principijs actiones exerit laude, aut vituperio dignas. Porro principium Ethices, in Homine *triplex*. Mens veri & boni, à falſo & malo diſcriminatrix. Voluntas, libera & ſui juris; illud arripiens, iſtud reſpuens ad libitum. Motus in ſentiente concupiſcibili, & iraſcibili; quod commodum occurrit appetente, incommoda averſante ac repellente. His nimirùm principijs ſolvitur, appelliturque ad optatum felicitatis portum, per actiones humanas quibus ineſt honeſtas, aut malitia: adhæret virtus, aut vitium; ſuperaccedit vel præmium, vel pœna.

IV HACTENVS progreditur profana Ethica, ſeu Moralis Philoſophorum.

Vt autem evadat *Christiana*, eget Homo vltra vires suas omnes & conatus; divino lumine, gratiæque per CHRISTVM auxiliaribus copijs. Quamobrem acutè, vt cetera, subsannat Augustinus; *Philosophorum semitas ad felicitatem. Quippe qui instruxerunt sibi vias erroris; cùm solus* CHRISTVS *via sit, veritas & vita. Doctrinam idcircò Christianorum non planè conferendam, sed incomparabiliter præferendam aßerit doctrinis Philosophorum: immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum.* BAILLEVL

Sed enim quia Salomonis Templum, exoticis opibus splendescit. Quia Ecclesiæ vestis aurea, peregrino etiam luxu ornatur: & quæ à Philosophis probè dicta, jubemur velut à possessoribus illegitimis vendicare; licuit Angelico Doctori, ipsam Ethicam Christianam, & fermè totam à Porticu repetere: easque in Theoligiæ Accademias, jure dominij transferre. Quas ego derivationes dum sollicitus examino, subit animum *Ethicam* Aristotelis ad Nicomahum, vtpotè magis elaboratam; per axiomata, & effata suc-

centuriare. Opus, si quid sapio, frugiferum; cunctis Moralem (vt par est) Disciplinam amantibus.

ILLVSTRIS.

AMAS tu verò illam, PRAESES ILLVSTRISSIME, & quà Philosophica est, & quà præsertim Christiana. Quo vtroque grandi titulo, complures ante annos meum tibi affectum oppigneravi. Famam alij quæritant à prosapia, quæ prænobilem extulit: à muneribus, quæ sustines honorificentissima; à favore Principum, quod in vtraque fortuna mirificè demeruisti. Ego te profectò plus semper existimavi, quàm tua. Nec circumfusos splendores tanti vnquam feci, quanti animi æquitatem, mentis constantiam, integritatem vitæ, morum suavitatem: & quod caput est, exactissimam virtutis, pietatis, Religionis observantiam. Illa scilicet bona agnosco, vera, solida, firma: quæ te efficiunt, quales è Magnatibus paucissimi, Moralem, Christianum, felicem.

V

Arcet equidem Plato à Divæ hujus Sacris, quotquot tibi, VIR OPTIME, dissimiles, aurei minimè sunt: luto cô-

tra, cœnoque penitùs immersi. At, at aurum quærit divinus ille in animo, non in marsupio: in pectore, non in arca; gnarus ex celestium aspectu, Iunonis cum Minerva nullum esse commercium. Aureum te probavit non fucatum, non adulterinum verè Lydius lapis; Suprema, inquam, Aerarij Regij Præfectura. Non abivit Christianum pectus post splendida illa metalla, spem non collocavit generosa Mens in gazis mox perituris. Quid plura? Immane illud Idolum pecuniæ cui obediunt omnia, & nemo non adgeniculatur: te, VIR MAGNE, vel invenit, vel fecit tam grande miraculum; vt peccemus contra ipsum Numinis præceptum, si te, quod facio affectu sincerissimo, laude ac veneratione non cumulemus. BLESIS. XII. KAL. NOVEMB. AN. MDCXLVII. BAILLEVL.

vis judicij procul à vulgu, materiæ delectus ſanè exquiſitiſſimus: Eruditio (quod tam verè, quàm verecundè Scriptor ipſemet) ex antiquitatis penetralibus τιμηέςαῖα χειμήλια. BERTERIO

ALIJ alia ejuſmodi dilaudent, capit me fateor, *Philippi Berterij* tui illius Patris longe clariſſimi, nodus Gordius, quia *triplex*; quem idcircò abrumpere non meæ poteſtatis eſt, non voluntatis. *Religionis* ſenſus, qualis Virum decebat, CIVILIS IMPERII ROMANI NOTITIAM, ET ECCLESIAE POLITIAM ILLVSTRARE DIGNISSIMVM. *Mores* ita modeſti, ita verecundi; vt Hominem celeſtibus gratijs ac veneribus ſacrificaſſe, facilè ſit intueri. *Latinitas* demum ſic pura, ſic terſa, cum tali brevitatis & venuſtatis temperamento, cum ea ſuavitatis & roboris commiſſura; vt credatut non perperam omne punctum tuliſſe, qui adeò feliciter. VII

Miſcuit vtile dulci.

Sed dic ſodes, *tanti Genitoris proles non impar*, quî fit, vt promiſſas in Prolegomenis Lucubrationes alias nec ha-

ILLVSTRIS. buerim ego: nec viderit, opinor lux publica? Si suæ featuræ immortuus est tantus Parens, cur posthuma solutione fidem nō liberavit pientissimus Filius? Fas-ne tibi, OPTIME BERTERI, qui avitæ gloriæ non degener addere potis es, in paterna hæreditate versuram facere? Immò quod inter honestos famæ ad minus parricidium, vadimonium deserere. Auge ergo, PRAESES AMPLISSIME, si te amas, si Patrem, si Eruditos omnes: auge rem literariam, tantis divitijs. Et interim pro gratitudine, cape me gemino tibi ære deinceps obnoxium. Nogentij Regio, apud Dynastam tibi & mihi ex æquo amicissimum. KAL. SEPTEMB.

AN. MDCXLIV.

BIGNONIO

CELEBERRIMO

HIERONYMO BIGNONIO,

Regio in Parisiensi

Senatu Oratori.

GENEAL. THEOLOG. CHRISTIANAE VIII

QVod solent itinerantes, BIGNONI PRINCEPS ADVOCATE, id ego in Scientiarum Disciplinis. Viæ sunt ad veritatem, quæ non alibi quàm in ædibus Theologiæ demoratur. In illis tantisper peregrinatus, quatenus libuit & juvit: ad istam dudum me recipio, patriam veluti longè suavissimam. Iam enim olim è Belgio reversus, Inferiorique Germania; clausus Pictonum agris, humanæ cujusvis Scientiæ vidi vacuitatem: laborem sensi, & cunctis ex parte nuncium remisi. Quorsum enim vita sic brevis, sic evanida, fugaxque Artium immensa accumulet;

ILLVSTRIS. quò citiùs, & graviùs obruatur? Quidni Homo si non amens, totus amet virtutem; quæ *proprium Hominis bonum*, vel Tacito judice nequaquam corrupto. Beata certè Scientia illa, illa vnica; quæ totius ἐγγυκλοπαιδίας rationem continens & summam, curandis animi morbis data à celo medicina est. Quæ sola professorem suum ac possessorem felicem efficit, & verè βασύλικον. Spretis videlicet *canoris nugis, doctisque erroribus*; quibus tot tinniunt, sibique illudunt Mundi cymbala, dum alijs vanissimè ludunt. Quid est, BIGNONI PEROPTIME, quod dissimulemus? Circularis hujus Eruditionis vsum si attendis, & fructum; magna illius pars, magna inanitas. Grammatica, spinetum: Rethorica præstigiæ: Philosophia, nugacitatis fascinatio: Physica, naturalis superstitio: Historia, larva sæpè fallacissima: Medicina, conjectura anceps: Ethica, vt fit, composita ambitio; cetera μαθημάτων choragia, nugaces curæ; *quas multi Sancti nesciunt quidem, & qui etiam sciunt eas San-*

VII

cti non sunt? Quis (te precor) discredat Augustino, omnigenæ Eruditionis Promo-condo: ingenij, & doctrinæ Choryphæo?

BIGNONIO

IX

QVAE profecto revolvens apud me, decrevi ex veteris Scholæ oraculo, vitæ speculum non ad lucernæ, sed ad Solis lumen examinare, componere, efformare. Mihique propterea DEVS esto Scientiarum Dominus, celum Ecclesia, fides veritas tantumnon vnica; sol Sacrum Volumen, lumen Theologia Christiano-Catholica. Ceteris propemodùm valere jussis, in vnius hujus *Sapientiæ* gustu super mel & favum dulcissimæ, super aurum & argentum opulentissimæ; & vivere, & mori pridem ratum, fixum.

Si diverto interdum ad alias Disciplinas, diverto tantùm: non insisto, non immaneo. Sed quæ dumtaxat juvant veritatis adeptionem, aut fuêre ex aliorum vsu; strictim & obiter contentus delibasse, *Sacræ* me totum *Scripturæ* immergo. Vltra quam & ista subinde amœniora vel olim primę ætа-

tis tyrocynia, vel ſeveriorum modò,
ILLVSTRIS. moleſtarum-ve occupationum condimenta, nec noſtris fortè inutilia; vna mihi Theologia amatur, vna ornatur, vna elaboratur & procuditur. Illius interim Promulſis prævolat in tuas manus, AMANTISSIME BIGNONI. Brevibus folijs & levibus, alas adjungit animi mei ardor; qui te ſuum pridem Mercurium habet, colitque τρισμέγιστον. Adeò ſcientiâ nimirum, eloquentiâ, ſanctimoniâ Herculem Gallicum, verè μυσταγέτην, noſter te Orbis veneratur.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων
ῥέει αὔδη.

X Hanc igitur ego, ſed ex meo ritu, genio, ſtyloque vnicam, vel vnicè retinui; *Doctrinis varijs, & peregrinis* nequaquam *abductus*. Iamque ſatis ad limam elaborata producetur in publicum. At quorſvm greſſu tam lento? Nimirum aliæ ex alijs occupationes, & amici otium ſurripiunt; fures ſi non iniqui, ſaltem importuni. Quietiùs, MI BIGNONI, & feliciùs in illa æternitate. Quam tibi poſt Neſtoreos, liberaliùs

ex meo Instituto, post Elianos annos apprecor. In Prætor. Molæ per Autum. vacationi. IDI. SEPTEMB. AN. MDCXLV. LANIER.

CLARISS. CHARISSIMOQVE

LANIERO, DE IVSTITIA,

De Doctrina, deque Religione

perbenè merito.

ΧΑΙΡΕ ΦΩΣ.

ECce tibi, VIRORVM OPTIME, ab antiquo affectu, novum genus Apophoreti; quo sub ineuntis anni auspicijs, raræ hoc ævo pietati tuæ gratulationem: benevolentiæ verò adversus Carmelitanam Observantiam supra fidem, supraque expectationem singulari, pignus fero Gratiarum meliori aliquando ære, si DEVS dederit, summam integram luiturus. Obstupuę-

CARMEL. RISTITTT. ET LVTET. INSEITVT. XI

runt ij quorum in oculis judicium eſt,
ILLVSTRIS. in fronte pictas, moroſæ contentionis opus perfectum penè, antequam affectum. Teque ſeverioris Diſciplinæ Virum tam acri, ſpem contra plurimorum, ad pietatem animo; ſtudioque, quæ gloria tibi propria, ita feliciter pertinaci cæpto inſtitiſſe; vt confectæ rei culmen in ipſis propemodùm fundamentis, vel ad vtriuſque ævi miraculum detur intueri.

ILLVD certè à Supremi Numinis providentia, quæ vti à Bohëtio pręclarè eſt ennuntiatum; *in alta æternitatis ſpecula conſiſtens currentia proſpicit ante ſe ſeculorum volumina, ſingulaque rebus univerſis momenta præfinit*. Iſtud abs non quotidiana, ſed inaffectata Virtute tua; quâ exaggerata mens ſolidiùs defixa in contemplatione futurorum, caduca blandientis fortunæ lenocinia ſic novit vt deſpiciat, ſic deſpicit vt ſincerè dedignetur. Provocat vtrumque anteactæ pariter, ac futuræ ætatis invidiam; cùm vbiq; terrarum rari extiterint, qui ſupra vulgarem ſortē poſiti, evanida,

eaque

eaque perfusiora fortunæ donaria merito anteirent, virtute repudiarent. LANIERIO

Scio equidem te hæreditario jure Senatorem, nunquam vnquam Seculi corruptelis fasces submisisse. Et qui plura non fingis ad ementitæ superstitionis ostentationem; sic puræ-puræ Religioni, vacare animitùs; vt esse & non videri, εἶναι μὴ φαίνεσθαι, summa sit ambitionis tuæ. O præclarum revera & augustum Christiani Hominis stemma! Ad cujus purissimam nitelam Simiæ erunt, quot quot Simiæ sunt; πίθηκος, ἀεὶ πίθηκος.

At, at peccarem profectò contra ipsummet veritatis symbolum, tuæque virtutis reverentiam, Clarissime Domine, si vellem ire longiùs in laudes tuas. Cùm præter arcanam conscientiæ fidem, quæ sola virtuti sat est; nuper in ipsissimo Regiæ Civitatis meditullio monimentum à Deo per te sit erectum, illud quidem ære perenius: & ad gloriam nominis tui sempiternam vel parietum firmitate, vel recordatione *Carmelitanæ* Gentis, absque Patre XII

ILLVSTRIS. & absque Matre perenniter duraturum. Quod igitur in novi Hospitij, & Anni xeniolum offerimus ea de re Carmen, vt æqui, bonique consulas; expectamus à sueta in nos clementia, & & humanitate. IN CONVENTV TVO SANTISS. SACRAM. KALEND. IANVAR. AN. MDCXXXIII.

C L. V.

LITERATISSIMO

GILBERTO GOLMINO

SAPIENTIAE VNIVERSALIS PARTITIO XIII

ORbem Vniversum mappulæ angustijs, concludunt Geographi; *ipse se pectori tuo*, GOLMIME LITERATISSIME, inclusit Linguarum simul & Disciplinarũ Orbis. Debetur id DEO Scientiarum Principi, qui ingenium dedit par rebus addiscendis. Nec ingratus ipse tibi esse debes, qui tantùm olei & operæ in hac Sparta exornanda

GOLMINO

impendisti. Æqua nimirum fuit labori industria, industriæ labor. Cujus vtrjusque beneficio eò à te perventum est, quò fermè aspirat nemo.

Ac mihi quidem volupè est, recordari felicis illius anni; quo expugnata Factionis Arx *Rupella*, Epitaphio Apollinea Poësi tua dignissimo materiam præbuit. Magni omnibus titulis Rupipozæi Præsulis consuetudo, mutuæ tunc notitiæ (voluisti & amicitiæ) fibula fuit & nexus. Per quod tempus cùm frequens esset sermo, de Virtute simul & Eruditione comparandis; memini à te multa dici, scitè æquè ac eleganter.

Inter verò cetera fucos facere exoticos illos, & cascos è prisca ætate Scientiarum Mangones; qui eas vel in devia montium cacumina ablegant, vel in puteorum abdita demergunt. Vltrò, aiebas VIR CORDATISSIME, occurrunt ipsæ, castissimos amplexus offerunt: & non omninò terræ Filios, velut adoptionis jure illustri familiæ vendicant. Si quid verò remoras inijcit,

maximè est passiva exoleto illo ævo
CLARISS' Abecedariorum ignorantia; quæ dum
à tritis aliorum orbitis, vel latum vn-
guem recedere Religioni ducit, nus-
quam vnquam accedit ad ipsius Deæ
Sanctuaria; cum verò Fidei lumine
destituti, vix à limine salutarint. Ar-
guebas quoque domestici, post lustra-
tas Academias, Mystagogi necessita-
tem; quam auget in dies, caduci se-
culi pænitenda sterilitas. Nondum ta-
men penitùs effætam esse vel naturam,
vel ætatem.

XIV Idipsum iam antea medio ætatis cur-
su volveram apud me, qui vt vulgares
vias vtiquè capessendas: & raras, ma-
gisque reconditas non prorsus omit-
tendas dudum suspicabar. Scientias
mihi corde fuisse vidisti ipse, verè
μȣτηγέτης. Sed illarum quoque tu-
morem vanissimum odisse me, cane
pejus & angue, sciunt qui me non ne-
sciunt. Sapiendum reor cum meo Pau-
lo, ad sobrietatem. Non sustineo son-
ticos illos Dictatores, qui permissam
cuique in rebus licitis sensus sui adi-

munt libertatem. Nec minùs pariter aversor Neotericos Scientiarum circulatores, qui dum invenisse se putant, non quod pueri in faba, ausu nimis temerario præsumūt per avios calles & invios, aliorsùm Studia & Disciplinas revocare. Dudum satis tunc erat, PRAESTANTISSIME GOLMINE, ex quo humanæ tenuitatis conscius intelligebam; bonæ menti litandum potiùs, quàm eruditæ. Docueratque me pridem celeste oraculum, vacuos & inanes Scientiarum tumores; nî charitatis succo, & sanguine oppleantur. Quidquid illa casso labore molitur, primo quoque momento ruiturum, nisi meliori statumine fulciatur. Et cùm ea vniversa quæ aut natura ingerit, aut vsus imprimit, aut meditatio infundit, minima pars existat eorum quæ vel à Scientissimis ignorantur; mihi revera satisfactum arbitrabar, si in vltima Philosophantium cera locus concederetur; sedem magis multò ambiens, in illa æternitate.

GOLMINO XXV

Effecit nihilominus ab eo tempore

CLARISS. inter occupatissima munia, inchoata iam ante animi, studijque contentio; vt veluti per crepusculum apparuisse mihi tandem visa sit vmbra quædam, ni fallor, *Scientiæ universalis*. Quæ quidem compendioso itinere sic rerum omnium naturam rimatur, vt vnam inveniat vbivis Gentium veritatem: ac licet variegato colorum artificio convestitam, tam facili quàm prompta Eloquentia evolvat. Cùm enim parens Naturæ DEVS effigiem sui rebus omnibus indiderit, & eas magico quodam nexu inter se se copulaverit; mens sanè Hominis omnium capax, frustrà rebus distrahendis se ipsam partitur; quæ vnam in triplici Mundo veritatem, nec-non ijsdem tramitibus propagatam vno, eodemque naturali intuitu potest contemplari. Et illud est dubio procul, Eruditionis heroicæ privilegium; quod pridem pluribus expetitum, tibi verò in paucis à DEO à Natura, abs Disciplina reservatum mirantur vniversi.

SVMMARIAM illius per singula mem-

bra Εγγυκλοπαιδίας distributionem, præmitto in libum: tibique dedico, LITERATORVM DECVS; vt si quid malè cohæret, exorbitat-ve, censoriâ tuâ virgulâ, quod omnium optimè potes, corrigatur. Vale, & Vive AVGVSTOR. PICTON. IV. KAL. APR. AN. MDCXXX. GOLMIN

CLARISSIMO VIRO N.

DE REVERENTIA MATRIMONII XV

VIr Clarissimè idemque Sapientissimè N. non tam domestica relatione, quàm publica voce accepi succrescentes in diem rumores, de divortio in Aedibus tuis imminente. Quem porrò doloris sensum exinde conceperim, intelligit quisquis norit me Clarissimo Nomini tuo fausta omnia dudum apprecari. Ingemui, fateor, ad funestissimi nuntij horrorem. Et quod malum omen fusis ad DEVM precibus, non semel pro virili conatus sum avertere; debita iterum ab officio commonitione, tentare aggredior. Enimverò nascentem in familia pestem, &

oblatum ædibus incendium animad-
CLARISS. vertens, vel ad ignem extinguendum conclamarem, vel concurrerem ipse ad venenum depellendum. Quantò igitur magis sanctiori vinculo obligatum me puto, vbi famæ simul & conscientiæ res vtiquè periclitãtur. Neque tamen partes hîc agere Concionatoris animus est; quasi verò is, cui scribo, à quovis ore aut calamo suggerenda felici occupatione non anteverterit. Solùm ergo æqui bonique consulat velim humanitas tua, me candidi pectoris sincerique affectus sinum amicissima voluntate explicare. Nempe divinissimo præeunte Mystagogo, quinque dumtaxat verba in meo, immò Apostolico sensu repræsentare; è re tua est non parum, ex mea verò adversùm merita tua ingenii propensione plurimum. Et quidem meæ conscius tenuitatis, vel conscientiæ, vel coniugij velamine Mortalium oculis, animisque celanda non temerabo, quod crimen esset penè sacrilegum. Sed famulorum instar qui heris, dominisque fa-

cem præferunt, non cessabo abs officiosa servitute; donec identidem animo tuo licet sapientissimo inculcarim, quod ceteros ipse edoceres.' Quid illa porro? Paucis absolvam, sed verissimis.

N. XVI

SACRAMENTI nexum docet fides ipsa Religione & Gentium solemni consensu firmiorem, nuptialis thalami decus inviolabile: conjugij tædas non alia, quàm mortis nocte extinguendas: vxorios defectus, vel ex Platonis edicto tolerandos; & si majus habet momentum divina Autoritas, infirmiori vasculo compatiendum. Tantam esse debere Viri tum curam, tum amicitiam, quanta fuit ipsiusmet CHRISTI erga Ecclesiam dilectio; vt etiam Maritus, Sponsæ salvator habeatur. Libellum repudij ipsiusmet Servatoris oraculo, ἀποστάσιον nuncupari. Publico omnium testimonio in Matre-familias sociâ vitæ indiuiduâ, multùm esse virtutis, honestatis sanè plurimùm. Ego certè qui semel, aut iterum, dum vestris in horis agerem, nec vltrà sum

gædiam, cujus quiſpiam ab intima amicitia pars magna fuit; vt fora iam & ſcamna, propudiosè occupet. Tandem ætatis futuræ ſubſannans judicium id, ita te DEVS amet, efficere debet; vt conſcientiæ, vt familiæ, vt nomini, vt famæ, vt tibi, vt vxori, vt liberis; vt omnibus ſimul & cautè timeatur, & prudenter caveatur.

Per tuam igitur te ſapientiam oro, VIR GENEROSISSIME. Per ſupremi Numinis, ſacrique Connubij reverentiam. Per deniquè ea omnia rationum momenta, quæ prudentiſſima mens altiùs expendet, obſecro, obteſtorquè; vt qui miſer eſſe non potes, felix eſſe non deſinas. Et primam naſcentis incendij ſcintillam reprimas, quod ſemel accenſum nullâ hominum, Divum-ve ope & induſtria extinguendum quotidiana calamitatum experientia perſuadet. Vale, & ſape. IN EREMO FONB. IDIB. AVG. AN. MDCXXXV.

CL. V.

GVIDONI POTERIO,

Doctori Medico.

Gallo-Bononiensi-Romano.

LIBRVM SECRETIOR. PHILOSOPHIAE XVII

OPus Secretioris Philosophiæ, DOCTISSIME POTERI, contra Veteratores, magni olim Mœcenatis iussu à me susceptum; tuis modò scrinijs vt committam, facit eruditio tua, affectusque erga te meus. Habere Naturam abdita sua, simul & adyta satis intelligimus. Verùm quid in illis arcani lateat & augusti, fermè caligatur. Tenebras adaugēt Sophistarū & Mangonum inanis temeritas, pollicitationes irritæ, divitiæ mendaces, spes vacuæ, miseria certissima. Quid porro est, quod stolidis præstigijs pergant illudere: sæpè etiam cordatissimos, mu-

cido ſuo faſcino diutiùs prolectent & implicent? Apage veteres cantilenas, nugaſque damnoſiſſimas. Quidquid jactitent novi Midæ, nihil illis deaureſcit. Atque vt non omninò abnuatur, Opus magnum: factum tamen vnquã, eſt cur ſatis legitimè pernegetur. Premebam olim apud Heroëm inclytum, tria in ceteris rationum momenta. Non ſinit Numen, vetat Natura: Hiſtoriæ id aſſerentes aut ſubornatæ, aut nullæ.

POTERIO

XVIII

ABEST id, inquam, abs divina illa Providentia; quæ ſuos perituris opibus, & ſæpiùs in crimen pellecturis minimè ditat. Suorum verò per flagitia hoſtium manus auro, nullius-non ſceleris inſtrumento ſi oppleret DEVS; quæ virtus ſecura, & quæ non tyrannis vbiquè ſæva, effrænis, impotens?

Iàm ſuas habet Natura officinas, gremia, cunas, theſauros; ſibi, ſuoque dumtaxat Autori exploratos. Non abſurdè quidem ex fabula, quidquid extat, partiuntur triplici Regno. At liquidò conſtat in Animali, inque Ve-

CLARISS. getanti, genus perfectissimum, nusquã oriri; nisi in sinu & viscere, sibi per Naturam destinato. Visi-ne vnquam ingeniti Homo, Leo, Aquila, non intra maternam alvum: progeniti, extra vulvam? Metallica similiter ditio nihil habet auro aut pretiosius, aut præstantius; non ergo avara tantæ prolis Natura, illam eniti sustinet extra proprios fines, nativaque repagula.

At ex factis, inquiunt, ad rerum facultatem tenet consequentia. Hoc verò opus est, hic labor. Recitant subinde per ætates diversi, felicissimam illam χρυσοποιίαν. Sed te amabo, quot & quales? Mille istîc, mihi pro vno; quippe omnes ex Artis sinu, vtque certatim aureo mendacio patrocinentur. Inspexi propiùs, Historiæ ejusmodi pulveris omnes tralatitiæ sunt, & nullus Scriptor citra suspicionem. Nulli propemodum seculo defuêre magni in omni alia Arte, & Disciplina Viri. Ergo-ne siluerint, visa per suam ætatem Phænice: repertive velleris aurei memoriam, Nepotibus invidebunt?

Vix crrdiderim. Sed esto, concedatur, licet frigidè satis, beatum illum partum fortassis inter ἀδύνατα logicè, quod aiunt, & θεωρητικῶς non omninò reponendum. Revera tamen ἐν τῇ πράξει tot involvit difficultates, tot reperit obstacula; vt Genus-Humanum auri sacra fame perpetuo laboraturum nostra sit constans, firmaque opinio. Quid verò vltra gliscit immanis cupiditas? Nimis heu! Iam nimis itum in Telluris viscera, & in ‘
sede Manium quæsitæ opes. Illa ‘
scilicet prudens occultaverat Natura, ‘
quæ nos ad inferos agunt. Quantùm ‘
herclè feliciori ævo, cùm nondum ad ‘
vitæ & salutis perniciem reperta est ‘
ista omnis mali vena, res ipsæ permu- ‘
tabantur inter se? Quàm innocens, ‘
quàm beata, immo verò & delicata ‘
esset vita; si nihil aliud concupisce- ‘
ret, nisi quod supra terram, secumq; ‘
reperit. Abdicatio hæc, aurique ejeratio votiva Plinio, & optimorum cuique; Iasonum hujus ævi φιλάργυρον, curas anxias, conatusque irritos satis superque condemnat.

ILLVSTRIS. Quid igitur? Inutilis-ne in totum
XIX Scientia illa Naturæ secretior, & recondita? Non ita; me Deus amet! Sit, per me licet, semotis tamen futilibus nugis; sit, inquam, vera, mira: pulcherrima, etiam vtilissima. Sed vt per Naturæ gradus, DEO in Scalæ fastigio conjungamur. Sed vt detersis vulgarium opinionum nebulis, puriori acie nudam veritatem contemplemur. Sed vt Scientiæ iuxta & Eloquentiæ tam facilis, quàm generalis & indeficiens nobis aperiatur scaturigo. Neque etiam negarim in præclara speculatione, voluptates innocentissimas: valetudinis quoque præsidia, si non fallunt, aut falluntur Artistæ, non aspernanda.

TVVM verò est, VIR CLARISSIME, de istiusmodi controversia statuere
XX decernere, Medicinæ tuæ dogmaticæ, cujus peritiã calles quasi jure hereditario ab optimo Parente, mihiq; Romam primùm accedenti dum vivere amicissimo, hanc quoque Chimicam feliciter adiunxisti. Ego verò legitimi iudicis sententiæ mente ipsa affectu saltem

tem libenter acquiesco. IN VRBE KAL. SEPTEMB. AN. MDCLX.

BELLOQV.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

N. DE BELLOQVERCV

PRIMIERIO,

In Parlamento Regis Grationopoli Præsidi.

XXI

SVPERATIS Alpium jugis & Apennini, per continuas itineris, ac temporis molestias Romam salvi, satisque incolumes accessimus. Primum hunc laborem excepit defatigatio à rebus nostris Generalis Capituli, plusquam menstrua: eaque ingens, & assidua. Istis feliciter, & ad probi cujusque vota ex DEI benignitate peractis; post solutas quæ debentur Numini gratias, eas mox tibi identidem referre pretium fuit. Nempè infami elogio rei revera in-

gratitudinis, ſi poſt tot apud vos bene-
ILLVSTRIS ficia aut calamum, aut linguam conti-
nemus, aut animi affectus minimè pro-
palamus. Immò multiplicato fœnore
veſtrâ erga nos benevolentiâ fruimur
iterum, quoties recordamur. Quam
enim grata memoria dum redimus in
illos dies fortunatiſſimos, quibus licet
ex ingrata occaſione licuit vobis frui.

IVVIT & ipſum tempus Sanctæ, vt
vocamus, Hebdomadæ, humanæ repa-
rationis memoriæ dedicatum. Cœtus
vidi veſtræ Societatis & Collegij, qui-
bus & interfui quia ſic juſſiſtis. Sed
cum quanta, bone DEVS, animi volu-
ptate! Rapuerunt me prorſus in ad-
mirationem ſimul & amorem hinc Vi-
rorum Illuſtrium pietas rara, prudentia
matura: inde Mulierum prænobilium
modeſtia inſignis, fervor qualis in cu-
nis Euangelij; vtrinque zelus pro DEI
gloria pro Eccleſiæ, pro Fidei am-
plificatione: pro Hæreticorum conver-
ſione, & Animarum ſalute, vt compen-
dio exprimam, verè Apoſtolicus. Quis
verò ſingulis diebus fuerit totius ve-

ſtræ Civitatis cõcurſus, quis ad noſtras Conciones ardor non retractabo, quia erant noſtræ. BELLO QV.

Sed neque reticebo benevolentiam, qua me complexus es, OPTIME PRAESES, ſuperadditis etiam beneficijs continuis, oblatis amplioribus. Debeo id Numinis indulgentiæ, debeo humanitati tuæ & pietati; quæ tot habet teſtes, quot habet Cives. Debeo & generoſitati veſtratis Heroinæ, cujus nomen & ſtemma totam familiam in veſtro Delphinatu Illuſtriſſimam, Myſterijs Crucis, & per eam Fidei triumphis CHRITSVS ipſe conſecraſſe videtur. XXII Diu eſt ex quo ea ſollicitante *Ruellana*, optabam vobis frui in CHRISTI viſceribus. Verùm auxit præſentia famam, meumque affectum.

QVAMOBREM hîc Romæ detentus per Numinis providentiam nihil minùs cogitans, nihil priùs curavi aut magis effeci; quàm vn commiſſa à veſtra Societate ſanctiſſima pro Fide propaganda, Sanctiſſimo repræſentarem. Eo fine quâ me ſtatim dignata eſt Sua

CLARISS. Sanctitas primâ audientiâ, porrexi supplicem libellum, Memoriale hîc appellant, cujus copiam cum devotissima salute mitto ad te, mi Primieri, & per te ad vtrosque Sodales, quos iterum atque iterum saluto. ROMAE KAL. IVL. MDCLX.

CL. V.

FLAVIO FRANCISCO HAVT-SERIO.

DE SVIS NOTIS AD FVLGENT. ET CRESCON.

XXIII

SI prisci fabularum Conditores, VIR CLARISSIME, quàm cœcum tam elinguem amorem effinxissent; idonea mihi inpræsentiarum, silentij erga te mei videretur excusatio. Nam enimverò vti passiva Gentium opinione, veri dolores muti sunt: ita sinceri germanitatem amoris locutuleiâ eloquentiâ prodi veriùs, quàm promi nemo inficietur. Sed quando futuri no-

minis tui famæ, levùm à cclo intonuit; non potui ſingularem adyersùm te Numinis providentiam, quam æternam apprecor, toto animi ſinu non amplecti: & quod facio ex genij mei candore, de orientis gloriæ tuæ auſpicijs, quę mirum aliquando ſplendorem pollicentur, ſummo tibi opere gratulari. O te felicem! Cui nondum majori, nondum ſui juris tota, quanta quanta eſt Galliarum Lupara, theatrum fuit canæ eruditionis. Quem Regis invictiſſimi manus tot benevolentiæ, (ita enim inaudio) velut adoreis cumulavit. Vt paulò planè ante devictâ Heterodoxorum perfidiâ, triumphi agitati: ſic tum de ſecli huius damnata ignorantia, triumphatum quis neget? Admiratus eſt in ætatis flore tui miraculum ingenij, ipſe Orbis miraculum noſtrique Genius Imperij Richelius.

FRANCISC. HAVT-SER-

Hoc vnum nimirum titulo, abſint ceteri, tu mihi magis, magiſque charus; quod tuas *Lucubrationes* non abſque debita pompa, ingrata ætas ad futuras tranſmittet. Rependit iam ju-

CLARISS. ſtum decus; ſiquidem Flavij mei commendatio purpurato Regni oraculo, haud aliter quàm publica lege, Regioque edicto, quin & Pontificio quaſi diplomate ſancita eſt. Perge igitur ſi me amas. Immò ſi te ipſe, ſi Reipublicæ vtilitatem, ſi DEI gloriam. Cui faciens quotidiè hac in obſcura ſolitudine, eo affectu te, tuaque omnia commendo; quo tuum & vivere, & mori ratum fixum. Eſt interim quod tuam fidem, appellem; qui neſcio quid ab amicitia, tuoque imperio effuſi Carminis, tuis porro gemmis inſeruiſti. Odi, mihi crede, hanc lucem: metuoque nimis videri, præſertim *Corvus inter olores*. IN AVLNAIA ſolito XX. KAL. NOV. AN. MDCXXX.

Ad Eundem.

XVIV

O flix Patrum ætas! cuius melioribus annis
Doctorum illuxit floſque, decusq; Virum.
Sive Budæ tuum ſplendeſcat, ſive Fabrorum:
Beriſſoniÿque decus, ſive Cuiace tuum.

Infelix ætas! quæ tot cumulata suorum FRANCISC. HAVT-SER.
Barbarie, aspexit funera funeribus.
Extinctos bello leges, legumque peritos
Gallia desleuit, fleuit & ipsa Themis.
Fleuit & ipsa Themis, longoq; dolore fatiscēs,
Luminibus dudum vixerat orba suis.
Ast postquā Hautserius primæuo flore Iuuentæ
Exoritur Gallis, sol ait ecce meus.
Luce noua geminos illustrans Iuris ocellos
Dat, recipit, reddit lumen vtrumq; mihi.
I cresce, Hautseri, toto fulgentior Orbe,
Luminis alternas dans, referensq; vices.

AMICO SINGVLARI

C L. V.

SCEVOLÆ SAMMARTHANO

AMANTISSIME Frater, consolatio CHRISTI IESV tecum sit. Ingemui ad optimi Parentis funus, & qui pridem inter nos est inviolabilis amicitiæ nexus, doloris tui me participem CONTOL. IN MORTE PATRIS XXV

CLARISS.
fecit. Novi familiæ jacturam, cui me adoptatum à pluribus annis bona fide credidi. Hinc matris, hinc sororum: hinc tuæ imprimis lacrymæ, & alto pectore ducta suspiria; animum meum ita dejiciunt, vt aptior sim consolationem mereri, quàm offerre. Sedenim habent æternitatis decreta, misericordiæ non minùs quàm justitiæ. *Mors*, ait sapiens Seneca, nullibi vberior, *publica lex est, & statutum universi. Mors naturæ lex, tributum, officiumque Mortalium*. Genitum te à mortali, hactenus ignorare minimè licuit. Iam satis superque domestica, privataque experientia eruditus, MI SAMMARTHANE, nosti præsentis vitæ ac seculi felicitatem caducam, Orbem calamitatis perpetuum, inanes divitias, gloriam ementitam: fucatos honores, voluptates perfusorias, omnia deniquè in mundo vanissima. His imbutus à DEO, à te, à me, à doctrinis, ab exemplis; poteris-ne absque criminis macula Parenti, & Christiano, & optimo puram illam in æterno ævo felicitatis vsuram invidere?

Mors nimirum illius, vt audio, sanctissima, anteactæ à multis annis probatæ vitæ corona est: & quod, opinor, virtutis in superstite Parente altera præmium. SAMMARTHANO

Hvivs viduitatem vt debitâ reverentiâ in posterum colas, non est quod moneam Filium tam obsequentissimum, quàm amantissimum. Defuncti memoriam vt officiosè prosequaris naturâ ipsâ, & ingenita virtute edoctus es. Illud namque precipuum *munus est, non ignavo questu defunctum prosequi: sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exequi.* Nec Parentibus cippi splendidiores, gratiora-ve sepulcra; quàm in Liberorum animis, vitaque honestissima. Scis verò quale sustineas *nomen*, ab avo præsertim magno illo Scævola *Sammarthano* in te derivatum. Vrgent ad virtutem paterna, patruaque decora. Potissimum Abelus, ingenij & doctrinæ haud minùs, quàm clarissimi nominis & sanguinis in solidum heres. Par deinde illud ἀμύμιτον, geminos aio candidissimæ vitæ & famæ, Regiæ XXVI

Genaologiæ Pertextores;

CLARISS. *Felices fratres quorum communis origo,*
Et quos vna dies peperit.

Inde tibi per veteris prosapię traduces debet surgere animus, generosaque æmulatio; hæreditaria hæc familiæ decora, tuis privatim virtutibus augendi. Ni feceris, lædis genus omne pietatis. Ad sancta enim te DEVS vocat, & stirpis nomen: ad illustria, tuorum exempla, & fama. Verbo dicam, charitas enim DEI vrget nos, & sancta premit amicitia. Manibus optimi Genitoris, vitâ innocuâ & inclytâ filius debet parẽtare, nisi velis esse pessimus. Interim meliore fide quàm vnquàm voveo tibi omnia, meque in omnibus ex amore & dolore tuum. LVTET. PARIS. NON. SEPTEMB. AN. MDCXLVIII.

COVRTINO

C L. V.

IOANNI COVRTINO,

In Senatu Rothomagensi

Regio Cognitori.

QVæris à me, VIR NOBILISSIME SIMVL ET AMICISSIME, quis ſit meus de Tertulliano ſenſus, quis tuus eſſe queat & vſus, & fructus? Notam vereor inſolentiæ, ſi auſim reſpondere: crimen læſæ ingenuitatis & amicitiæ, ſi recuſo. Stirps enim quâ natus es, primum fuit vinculum, quo inclytæ familiæ, tibique devinctum me fateor. Obſtrinxerunt deinde ſecundo nexu tua merita, & hæreditaria Parentis erga me benevolentia. Amavi impenſiùs deinceps genium tuum, ſuis natalibus dignum: & heroico auſu ſpretis Iunonis, Plutique ſollicitationibus, ad TERTVLL. XXXII

CLARISS. Minervæ studia enitentem. Iam processum erat feliciter ea in sylva, vbi ramus ille aureus frondescit; cùm raro, vt ævum est, consilio vestigia statuisti reflectere ad innocentiora honoris decora, per seriam virtutis & doctrinæ culturam. Arsit mox generosum pectus amore in Literas,& Literatos. Nec vllum à te genus Eruditionis prætermissum est, à quo facta non sit opulētior ingenij tui suppellex. Secundùm verò ea quæ publicis Togæ, & Themidis muneribus proximiora inexistunt; nihil tibi priùs quàm probos, probatosque Autores in consuetudinem & vsum identidem advocare. Intromissum ante alios vel publicæ famæ ductu, vel sola nominis sui commendatione Tertullianum excepisti, quâ meretur reverentiâ. Verùm vt est paulò austerior, rigidiorque;vices non rependit vrbanitatis. Excusabis vtique, Afer enim est; ad quem propterea accessus morosior, cum quo commercium difficile. Magnus interim inter maximos, & qui vnus doctrinæ

cuiusvis compendium Scriptis suis inclusit. Quid igitur facto opus, vt fracto putamine, nucleoque durissimo fructus edatur? Dicam semel, & pro tenui sensu meo; si tantillam Viri notitiam peperit assidua satis, & sæpiùs repetita conversatio. COVTTINO

Primùm, illotis manibus ad hæc sacra accedere nefas. Nec enim Septimi Florentis penetralia admittunt, nisi iam doctrinis propemodùm omnibus initiatum. Neminem tamen è similibus tui, VIR CLARISSIME, arcendum puto. Sed Autor sum, vt selecto otio totus semel perlegatur Tertullianus. Mox iterum atque iterum revolvatur. Sed pedetentim, & quidem me suasore, textus purus-putus; qualem restituit, castigatissimus Rigaltius. Hujus siquidem cultissimi Emendatoris Observationes, Notæ & Glossemata; facem affatim præferunt, nisi velis Tertullianum penitùs induere; quod laboris sanè immensi, pretij non tanti. Ita cum meditatione legendum reor.

XXVIII At qua ratione *colligendus*, vbi om-

CLARISS.

nia gemmæ sunt & margaritæ? *Quot enim verba*, pulchrè ait elegans ille Vincentius Lirinensis, *tot sententiæ: quot sensus, tot victoriæ*. Hæret aqua, non diffiteor. Atque vtinam, felix memoria nihil non posset complecti! Saltem illi sic juvat assuescere, Divi adinstar Cypriani; vt velut in familiari domo clausis oculis invenias ad manum, quod quærit animus. Est quod à me dicatur, & detur ampliùs. Parca non est amicitia, liberalis verò scientia minimè sit, si agit illiberaliter. Legi, perlegi, relegi Q. S. Florentem Tertullianum: & ex illius pergulis, & arcolis fllorilegium collegi. Eâ scilicet, quoad licuit industriâ, vt ex Coronariorum arte, distinxerim sueto mihi more, quæ præcipua occurrerunt sub serie quadruplici. *Ethica*, adnotant quæ virtuti conducunt. *Critica*, quæ sapiunt Eruditionem. *Rhetorica*, quæ referunt Eloquentiam. *Grammatica* demùm, quæ stylum Tertulliano maximè peculiarem efficiunt. Labor equidem in delectu, sed fuit satis summa rerum fastigia delibare.

Alia ejuſmodi potiora ſelegi poſſunt ad cujuſque vel libitum, vel inſtitutum. His interim fruere, ſi adlubet, & nos amare perge. LVTET. PARIS. POSTRID. KAL. DECEMB. AN. MDCXLV. COVRTINO

CLARISS. VIRO

DVCI PARMENSI

ab Intimis & Secretis.

METHOD. IDIOMATICA. XXIX

FElices revera Publicarum-Rerum ſtatus, tum cùm illarum gubernaculis aſſident vel Sapientes ipſi, vel amantes Sapientum. Cujus quidem veteris effati recens, ingenſque documentum noſtra ætate profert Ditio Parmenſis. Quid enim pace, belloque potuerit Princeps & à ſe, & per te magnus; cui Auguſto tu verè Mœcenas, noſtram qui vidimus, fidem propemodùm exuperat. Ac mihi certè Romam pergenti; quæcumque iſto iam in Gal-

CLARISS. liæ Regno ſubaudieram, meiſmet oculis intueri: & omninò largiùs frui Placentiæ, quod conceſſum fuit, munus reor Providentiæ ſingularis. Heroëm illum tum exhibuiſti mihi (quæ tua fuit humanitas) ſic benignum, ſic prolixè benevolum; vt triduum ab illo contra itineris, animique propoſitum attineri, vis extiterit ſanè gratiſſima.

VRBIS ſitum juxta nomen pulcherrimæ, jucundiſſimæque miracula vix oculus delibavit; vſqueadeò totum me rapiebat Princeps, tuque Principi ab intima amicitia, inque rebus gerundis fidus Adminiſter. Majeſtatem oris in Parmenſi illo Duce inclyto, & noſtratis quoque Idiomatis felicitatem cum noſtra iam Aula ſuſpexeram. Sed vt intima tantiſper inſpicere datum fuit, quod DEVS bone, pectus & ingenium! Mens ſagax, acumen ſubtile, judicium ſolidum, indoles rara: animus vtiquè regius, candor vltra Francos ipſos; præteritorum memoria innumerato, futuri, (& recordor vtiquè) præſagitio mira.

X

De-

Desijt interim, tanta est humanæ sortis caducitas, tantus Heros: & præcoci funere ereptus, immensum sui desiderium Probis omnibus reliquit. Haud tamen extinctus planè: quando filios superstites, Patri neutiquam absimilis: & his habet te, VIR MAGNE, sagacitate, prudentia, fidelitate exploratissimis, Genium veluti tutelarem. SECRETARIO.

Eas verò præter dotes eximias, quæ te Politico regimini reddunt peridoneum; miratus quoque sum vehementer studium in te ardens erga tùm *Philologiam*, tùm sanctiores insuper Disciplinas. Inde sermone mutuo actum frequenter tuo in Palatio, longè splendidissimo, de pura, sinceraque virtute quæ CHRISTVM habet fundamentum & scopum: de seculi genio per compendia ad Veritatis, quoad Homini fas est, lumen connitente: de politioribus demum Literis, quæ divina humaniori stylo explicant, humana divinis opulentijs magnificētiùs exornant. Postremò vt vel ipsæ politissimæ Lucubrationes tuæ, meræ latinitatis vene- XXX

CLARISS. res, & lepores sunt; dictum nonnihil de Idiomatum diversitate, difficultate, necessitate.

Sed quando dulcissima hæc otia mox abrupit susceptū iter, linceus esse nolui. Quare reflexi statim, & sæpiùs animi oculos ad tua, MARCHIO COLENDISSIME, adversùm me beneficia. Vtque intelligas, quanti fecerim rara, quæ in te merita perspexi; hanc meam Commentatiunculam, de Grammaticâ generali: deque Idiomatum, Latini præsertim, comparatione.

Mittere decrevi monumentum & pignus amoris.

ROMAE IDIB. APR. AN. MDCXLVI.

GENEROSISS. NOBILISSIMOQ;

ARMANDO A PORTA,

Marchioni Meilleraÿo C.M.F.

EXEMPLA ORATORIA I

APeritur modò ætati tuæ, ARMANDE GENEROSISSIME, templum è veteri ritu Honoris ſimul ac Virtutis. Ianua porrò ad vtrumque, Scientia eſt; quàm citrà, in ſordidis & profanis nemo non obſoleſcit. Inditæ nimirum à natura & diſciplina Artes, monſtrant quonam, & quomodo contendere debeant ingenua præſertim ingenia: præclara verò geſta, efficiunt vt perveniatur. Alterum ſine alterius nexu, & paratura; aut luſcos relinquit, aut monoculos, aut in totum cæcos. Ex Scientià enim oritur Virtus, ex ambarum commiſſura verus Honos, ſincera Felicitas. Illam igitur præmitti neceſſum eſt, iſtam ſubſequi; quia cognitio ſine

actione jacet paralytica: actio sine co-
ILLVSTRIS. gnitione tam temeraria, quàm cæca.
Æquè nimirum damnatur ab omni æ-
vo; πρᾶξις ἄλογος, λόγος ἄπρακτος.

QVOD si Lactantij Cæsarum Præceptoris suffragio, Homines constat nasci non ad stultitiam, vitiorumque propudia: sed ad sapientiæ, virtutumque omnium decora; quantum ab ejusmodi oraculo pondus & momentum similibus tui, MARCHIO NOBILISSIME, quē sanguis ipse, nascitura, & educatio ad omnes honoris titulos sollicitant. Avum ex Matre habuisti, nostro seculo belli, pacisque elogijs magnum, Patrem obtines inter militaris glorię Duces, vel Europæ totius consensu, maxi-
VII mum. Rarum revera Poliorcetes, & Patruo Cardinali inclyto vnicè charus. Quippe qui Heroum Summo ingenij subtilitate, mentis sublimitate, animi genorositate; quàm sanguine, quàm familiâ; quàm parentelâ longè adhuc propinquior. Per eos nimirum gradus properandum tibi, quò domestica vocant exempla. Currenti iam feli-

citer audeo ſtimulos addere, veriùs lenocinia; quoniam juvat florentibus annis, Muſarum ope velut obſtetricari. Pretium ſaltem operæ ingens mihi eſt mittere in publicum, & ad poſteros hanc meæ reverentiæ & obſequij teſtificationem. Inde-adeo, non otioſè exhortor ad Eloquentiam; quæ magnanimitatis pars eſt non vltima, ſicut & Scientiæ primaria. Quid enim aliud ſcit dives ineruditus, quàm rudere? Quidve Mars ipſe poteſt ſine Minerva, niſi ferocire? Dubitatumque idcircò antiquitùs ſuam Cæſar fortunam debuerit-ne linguæ, an gladio: facundiæ, an ſtrenuitati? Quiſquis ſanè ad Cæſarum gloriam enititur, debet vtiquè & Vlyſſis peritiam, & manum Agamemnonis: Turni robur, Drancis facundiam præclaro fœdere in ſemet maritare. Id porrò quò meliùs exequaris, beatè agi tecum exiſtimes, GENEROSISSIME ADOLESCENS, quòd prima ætas tua ad omne doctrinarum genus preſtruitur. Nec habebis, opinor ingratum, Studia ejuſmodi etiam A PORTA

ILLVSTRIS. ex paterno iussu, nostris hisce Oratorijs tantisper adjuvari. Summa votorum fuerit, te annis decurrentibus in Delubris, quæ prædixi Virtutis simul & Honoris tum laureâ, tum oleâ coronatum intueri. LVTET. PARIS. X.KALEN. DECEMB. AN. MDCXLVII.

C L. V.

C. VENASQVIO FERRIOLO,

PRINCIPI MONACHENSI

à Secretis & Historijs.

THEOLOG. MYTHOLOGI-POETICA II

TOtum id quod vivimus, VIR POLITISSIME, fabulam vetus verbum ritè vocitat: quotidiana verò experientia, vtiquè repræsentat. Vnum omnibus theatrum Orbis est, in quo scena à diversis Hominum studijs & institutis varia; sæpiùs etiam in vnoquoque nostrûm, persona multiplex. Alius

enim Therſitem agit, alius Agamemnonem: hic riſu emoritur vt Democritus, ille fletu Heraclij. Adeò verò parum quiſque ſibi conſtat, vt per horas vultum mutet, fortè etiam & animum per momenta ſingula. Quodque calamitoſius, reducto ſipario peragitur nunquam abſque Tragicomœdia. FERRIOLO

DEMVS Hieronymo fabulæ nomen, honorificentiori vſu hiſtoriam exprimere. Concedamus & alijs, eiuſmodi inventiones eſſe humanæ vitæ condimentum; ſub queis occultantur rerum fructus, folia, floreſque: veri ſimulacra, vt Iris in nubibus Solis imago eſt: Poëtarum cupedias, & bellaria; quibus auditorum, legentium-ve animos ineſcant & oblectant. Quidquid tandem ſit, Philoſophum aliqualiter φιλόμυτον ſuſtinet Princeps Philoſophus: & plus ſatis conſtat inter Eruditos, ea Humani-Generis fuiſſe prima & ſinceriſſima documenta. Quid ergo & Homini, & Chriſtiano fabulari non erit indecorum? Immò tam nativum,

ILLVSTRIS· quàm ipsum fari; quod humanum est à Brutis discrimen. Scio equidem non à Platone modò, sed & celesti præsertim oraculo proscribi fabulas, haud tamen omnes. Solùm ergo, meus ait Paulus, ineptæ, aniles, interminatæ: & quæ vno verbo, mores contaminant, pietatem infringunt, sapientiam enervant.

III Quæ tamen sic à me dicta velim, FERRIOLE PERQVAM ERVDITE, nō quasi nos detinere debeāt ejusmodi larvæ; quibus, infit magnus Præsul Nazianzenus, vltra Gigis annulum, Midæ inanes divitias, Abaridis Hyperborei sagittam, Argivumque Pegasum; *res vna, magnumque nomen unum esse debet; Christianos & esse, & nominari*. Quæ igitur nostri hîc consilij summa? Intentus nimirum à prima juventute veritatis indagini, nec-non deinde Sacri inter Christianos Voluminis, quòd me pridem totum arripuit, intelligentiæ; quid vtrique conferret μυθολογία, ad minimum per transennam dispiciendum fuit. Vt auderem, monuere

me Duum-viri Ambrosius & Augustinus; sed te precor quales, & quanti? *Fabulas prior scribit etsi vim veritatis non habeat: tamen rationem habet, vt iuxta eam possit veritas manifestari*. Subscribit Magistro Discipulus non impar acutè, quòd solet juxta & eruditè. *Apud Autores Secularium literarum, vt apud Horatium: mus loquitur muri, & mustela vulpeculæ; vt per narrationem fictam, ad id quod agitur verax referatur significatio. Vnde & Aesopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus sic ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Hæc in Sacris Libris, vt in Libro Iudicum, cùm ligna sibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem. Quod totum fingitur ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur*. Dum igitur per Sapientiæ, & Eloquentiæ Vniversalis circulos, meam Θεοσοφίαν pro viribus adorno; quo meliùs caperetur, sacra, profanaque Literatura, delibanda fuit qualiscumque Theologia Mythologi-poëtica. LVTET. PARIS. KAL. IAN. MDCXLVI.

FRATRVM TERNIONI

Nobilissimi, Amantissimique

NICOLAI DE BOTRV

COMITIS NOGENTII

Proli Masculæ.

ALPHAB. PHILOSOPH. CHRISTIANAE IV

PRæclarè cum rebus humanis ageretur, OPTIMORVM PARENTVM PROLES DILECTISSIMA, si in eo, quo æstis ætatis lubrico, firma è celo manus à lapsu retineret. Gressus nimirum *Iuventutis*, spontè currunt ad præcipitia. Hærebat profectò ea in cogitatione Mortalium Sapientissimus Salomon, cùm divinæ mentis acumine vix attingens Aquilæ volatum in aëre, Navis vestigia per aquarum vortices, Anguis volumina, flexus ac męandros; caligat penitùs, in humanæ vitæ pri-

mordijs. Quasi vltrà τὴν ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τὴν ἀλαζονείαν, triplex scilicet nostri Generis virus; lateret nescio quid in Adolescentia, venenatum magis ac pestilens. Auget verò morbum, periculumque, ævi iniquitas. Quando, proh scelus! proh dolor! innocens ætas quasi ex condicto, ad omne nefas inverecundè provocatur. Eò namque sceleris ventum est, vt pudeat esse Homines, nedum Christianos. De suis nimirum audacibus flagitijs, applaudit sibi nostra in Ephebis petulantia. Triumphant inter propudia; & tum maximè pulchros se putant, cùm pessima perpetraverint. Horror est dicere juvat emasculari, placet evigorari; adeò se effræni licentia, demittunt ad pecudum dedecora. NOGENT.

NON ea, satis scio, vobis mens est, CERIONES NOBILISSIMI. Orti quippe Generoso sanguine, nati in spem & incrementa Familiæ perillustris; procul hactenus ab Adolescentium isto seculo corruptelis, iter capessitis ad Scien-

ILLVSTRIS.

FRATRVM TERNIONI

Nobilissimi, Amantissimique

NICOLAI DE BOTRV

COMITIS NOGENTII

Proli Masculæ.

ALPHAB. PHILOSO- PH. CHRI- STIANAE IV

PRæclarè cum rebus humanis ageretur, OPTIMORVM PARENTVM PROLES DILECTISSIMA, si in eo, quo æstis ætatis lubrico, firma è celo manus à lapsu retineret. Gressus nimirum *Iuventutis*, spontè currunt ad præcipitia. Hærebat profectò ea in cogitatione Mortalium Sapientissimus Salomon, cùm divinæ mentis acumine vix attingens Aquilæ volatum in aëre, Navis vestigia per aquarum vortices, Anguis volumina, flexus ac mæandros; caligat penitùs, in humanæ vitæ pri-

mordijs. Quaſi vltrà τὴν ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τὴν ἀλαζονείαν, triplex ſcilicet noſtri Generis virus; lateret neſcio quid in Adoleſcentia, venenatum magis ac peſtilens. Auget verò morbum, periculumque, ævi iniquitas. Quando, proh ſcelus! proh dolor! innocens ætas quaſi ex condicto, ad omne nefas inverecundè provocatur. Eò namque ſceleris ventum eſt, vt pudeat eſſe Homines, nedum Chriſtianos. De ſuis nimirum audacibus flagitijs, applaudit ſibi noſtra in Ephebis petulantia. Triumphant inter propudia; & tum maximè pulchros ſe putant, cùm peſſima perpetraverint. Horror eſt dicere juvat emaſculari, placet evigorari; adeò ſe effræni licentia, demittunt ad pecudum dedecora. NOGENT.

Non ea, ſatis ſcio, vobis mens eſt,Ceriones Nobilissimi. Orti quippe Generoſo ſanguine, nati in ſpem & incrementa Familiæ perilluſtris; procul hactenus ab Adoleſcentium iſto ſeculo corruptelis, iter capeſſitis ad Scien-

CLARISS. tiam, ad Virtutem, ad Honorem. Hos nempe Honestatis & decoris igniculos pectoribus vestris submittunt, qui vitam Parentes immisêre. Ille pietatem colit in Aulâ, vnde ipsa fermè exulat Christianitas. Illa Domi, forisque sic vivit; vt publicâ famâ sui sexus, nostrique ævi gemma sit, & ornamentum; vsque adeò.

Casta domus, sincera fides, industria solers.

Vtriusque verò benevolentiâ, ac beneficijs in integerrimam Familiam, tantùmnon ascitus, mearum partium esse reor ea vobis præcepta dictare; quibus, & ita rogavit sæpè optimus Pater, ad benè, beatèque vivendum, compendiosè potestis erudiri. Ac memini quidem Homines solos nasci Disciplinis idoneos, Christianos verò alumnos evadere celestis παιδαγωγίας. Inde à vobis discedens, dum abitis ad Philosophiam, ego rursum in Italiam: pretium est à me vobis relinqui, breve ALPHABETVM; quo, vt estis à Natura & Indole ingeniosissimi, facili labore comparari potest salutis Scientia,

quæ vera demum Philoſophia eſt. Favete itaque & auribus, & linguis, Ivvenes Nobilissimi: ac, ſi lubet, domeſticum Eccleſiaſtem audite. NOGENT.

ALPHABETVM PHILOSOPHIÆ

CHRISTIANAE.

Abestinentia à malo, primus ad virtutem gradus. Alacres itaque & ſtrenui excutite propriam ignaviam, abijcite pravorum conſortia: obſiſtite Diabolo, & illicò fugiet. Si auditis, mox conſentitis; hinc licentia, peccandi conſuetudo, ſtupor, durities cordis, obſtinatio, mors, damnatio æterna. A V

Bellvm vobis, quamdiu vitæ militia: nec ſpes vlla pacis, niſi paratâ per mortem victoriâ. Hoſtes veſtri vndiquaquè, at quiſque ſibi omnium infenſiſſimus. Noſcite, cavete, vincite. B

Christo dediſtis nomen in Baptiſmo; pacta tunc fides, ſanctiſſimum- C

que fædus cum DEO initum; de tota deinceps vita castè, & ritè instituendâ. CL ARISS. Si desertores, aut transfugas efficiunt Carnis illecebræ, Seculi inanitates, Dæmonis tentamenta; DEVM ejeratis, CHRISTVM refigitis patibulo; perijstis.

D DEVM credite Autorem in Natura, Reparatorem in Gratia, Remuneratorem in Gloria; timete Iudicem, amate vt Patrem. Adorate, cultu per Religionis exercitia quotidiano. Quęcumque divina seriò & impensiùs quà verbo, quà facto veneramini.

E ECCLESIAM quæ vos adoptavit per CHRISTI Lavacrum, firmamentum putatore & columnam veritatis. Infantes sine dolo, lac illius exsugite: quæcumque docet, jubet-ve; audite, obedite; estis alioquin Ethnici, & Publicani. Nec Patrem sperate in cælo, si hanc in Terra Matrem non habetis.

F FIDES vestrę cum DEO animæ vinculum, & nexus. Lux animi pura & certa, citra quam spissæ passim tenebræ. Virgo est, amat integritatem: delibari

non ſuſtinet, nedum violari. Peccans in vno, fit omnium reus. Fideles ſi eſtis, nomen vobis *Christiani*, cognomen *Catholici*. NOCENTII

GENVS vitæ ex DEI, & Parentum nutu: ex Sapientum, veſtroque conſilio deligite. Semel arreptum, virtutibus honeſtate: rarò demutate, ſanctè vivendi propoſitum nunquam. Qualecumque ſit, frequentes incurrent miſeriæ, plura triſtitia, aſpera plurima. Quod vos attinet; Aulica, ſplendidior, ſervitus eſt: Forenſis, dominium ſervile: Beneficia, ſæpiùs maleficia; nulla ſine ærumnis, & quod pejus, abſque ſalutis ingenti diſcrimine. G

HOMINES ne ſitis æquivocè, ſed revera; animo diu, noctuque obſervetur vetus oraculum, γνῶθι σεαυτόν. Expendite quæ Hominis natura, quæ dotes, quæ privilegia, quæ officia. Templum DEI Homo eſt, cui pars triplex ſpiritus ſanctuarium, anima navis, caro atrium. Si regnat ſpiritus, efficit divinos: ſi anima, Homines rationis compotes; ſi caro, pecora. Proh pu- H

dor! Imago DEI, peccando fit effigies Diaboli. Orbis Prætor & Prorex, vile evadit Mancipium. Concivis Angelorum, Socius fit Dæmonum. Nec (malum!) recordatur à quo Opifice, conditus, quo pretio redemptus, ad quam felicitatem destinatus.

I INITIA peccati, intùs & foris. Intùs genitalis culpa, auctu nostrarum nequitiarum deterior. Foris Mundi illecebræ, Dæmonis præstigiæ; dum per blandissima ludibria illudit oculis præsertim, animisque Iuvenum; vt eos voluplatibus delinitos, & ebrios miserè juguler. Cavete porro à fascinatione nugacitatis, sed à vestrâ imprimis concupiscentiâ: sumus vtiquè ad virtutē & cæci, & claudi. Quisquis peccat, caligat; ignorantiæ nebulis obscurantibus rationis judicium, proque optimis pessima offerentibus. Infirmitas frangit animum, vires, constantiam. Heu!

---Videò potiora, proboque;
Deteriora sequor.

Quotidiè identidem, & ardenter petite à luminum parente DEO, lucem veritatis, robur gratiæ. LA-

LABYRINTHVS vitiorum inextrica-ilis, quis evadat? Implexæ ſimul L virtutes, & complexæ: copulata quo-que & crimina, conferta, conglobata, rimen vnum magneticè trahit aliud. Abyſſus, abyſſum invocat; pedem ſe-mel intuliſti, referes difficillimè. Im-mò immergeris de luto, in lutum: fit-que tandem catena mali, vltra Gor-dium nodum implicatiſſima. Quare primos fugite halitus vitiorum & aſpe-tus, nihilo ſeciùs quam à facie colu-bri. Primiſſimas criminum cogitationes ſtatim, ſtatim allidite ad petram.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur;
Cùm mala per longas invaluere moras.

MVLTIPLEX INSVPER AFFECTVS, in-nata cuilibet Hydra vulneribus ſuis M fœcundior. Ira dextrum latus, ceu Scylla obſidet: lævum, Carybdis con-cupiſcentiæ. Abhinc quanti motus animi, perturbationes, ægritudines? Bellum inteſtinum nobis, & à nobis ex ipſis viſceribus: & in iſto ipſo pectore, hoſtilis acies vltrò ſuppululat. Simo-nem fovemus intra nos; ipſimet ge-

DE BOTRV

mellos, immò innumeros ſentimus in ſinu mutua colliſione rixantes. Leges oppoſitæ, potiùs factiones tranſverſos agunt ſursùm, deorsùm; nec ſinunt vſquam quietos agere:

CLARISS.

Spes levat arrectos, alto à vertice metus
Deijcit: hinc animos pulſat furibūda voluptas,
*Inde dolor; nec radios fun*it ratio, nec vela*
gubernat.

N

Nvlli interim aut vitio, aut affectui parcendum. Quidquid pravum eſt, extirpate: cetera corrigite, caſtigate, emendate. Id petitis quomodo? Ex rationis regula, & gratiæ per Christvm cenſura. Cavete imprimis, ne major pars vincat meliorem: nec quod in vobis virile eſt, Evæ & mulieri veſtræ intra vos ſubjiciatis. Vitiorum verò ejuſmodi alia ſunt velut Gentilitia, è patrio quaſi ſolo, vt in plantis fit, enata: alia, cuiuſque temperamento adnata: alia, comitantur ætates; alia ſexum, inſtitutum, officia. Nulli autem prorsùs indulgendum, ſed cuncta imis radicibus eradenda. Illa porrò quædam feralia, prodigioſa monſtrorum

instar, vel nomine tenus execranda. DE BOTRV
Ne minimis quidem, & quasi venialibus connivendum. Curandique præsertim affectus illi, qui virtutum viciniâ & larvâ sæpiùs, & pejùs imponunt; *Fallit enim vitiũ, specie virtutis & vmbra.*

ORDO in omnibus, conducet sanè plurimùm; ψυχὴ γὰρ τοῦ κόσμου τάξις. O
Est etenim rerum omninò omnium, anima, spiritus, vita. Si tollitur, restat incondita & infirma multitudo: confusio, deformitas, mors ipsissima. Ita igitur componite cogitationes, convictum: studia privata, publica, vitæ genus omne; vt nil sit promiscuum, nil incõditum appareat, aut inordinatum. Sed vbiquè tenor vnus splendeat, colorque semper pulcherrimus effloreſcat.

PIETATEM in istis ante omnia, & ad omnia scitote perutilem; *promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Si colit DEVM, Religiosa est: si Parentes veneratur, vitæ suæ fœnerat: si Patriæ inservit & Principi, agit tam sanctè quàm prudenter; si quosvis de jure, P

aut conſuetudine Præpoſitos ac Superiores veneratur: illiſque, quatenùs fas, obtemperat; benè eſt, nam obedientia felicitatis mater,

CLARISS.

Πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
Μήτηρ, γυνὴ Σωτῆρος.

QVATVOR NOVISSIMA quiſquis identidem meminit, haud dubiè vix peccat. Iuvenes præcoci fato abripi poſſunt,& exemplum habetis domi in fratre primogenito: at Senes, diù vivere non poſſunt. Eſtis nobiles, pulchri, ſani, ſciti, culti. Vixeritis in opũ vbertate, favore Principum, honorum apice, voluptatum (ſi qua eſt) ſuaviſſima fruitione; hæc quanta porrò, & quamdiù? Si futilia, ſi fugacia,ſi caduca: ſi in momento, in ictu oculi, in punctitio & atomo deſinunt vniverſa? Si

Nos omnes vna manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.

Ita eſt, [ſtatutum omnibus Hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Iudicium.] Hincque vobis, mihi, ſingulis; aut pœna in Inferis,aut felicitas in Celis ſempiterna.

RATIONIS itaque trutina, vobis quotidiè ad manum. Computate cum Aurora & Vespere, accepta pariter & expensa. Expendite severiori calculo, examinate quæ vobis diu, noctu-ve cogitata, dicta, facta. Si eo namque vosmet iudicatis modo, sententiâ vos absolutoriâ beabit justus Iudex. R DE BOTRV

SED SCIENTIA ad id opportuna, ita est. Illa iter ad Sapientiam, hæc ad Virtutem, Virtus ad Salutem. Seculi Literatura, primùm (quod egregiè fecistis) delibanda: juvabitque subindè, sed cum moderatione, cautela, & delectu. Grammatica, Rhethorica, Historica: Idiomatum, Iurisprudentiæ: μαθημάτων ad eruditionem aut vtilitatem selecta potiora; non tàm laus est callere, quàm inter Claros ignorare vituperium. Poësis vsus, qualis salis aut condimenti. Vel vt captivæ olim alienigenæ, admittatur equidem: sed nonnisi præsectis vnguibus, derasis capillis, veste mutata. Philosophia omnis, ad Fidei trutinam vtiquè examinanda; Platonica quidem S

moralior, verùm superstitioni affinis: Aristotelica subtilior, sed & vicina impietati. Præcellit ad omnem vsum Ethica, & quidem Stoica: qualem Seneca suum Lucilium docet, modò fiat Christiana. Vnica tandem sponsa esto, SCIENTIA DEI, SANCTORVM, SALVTIS. Hauritur in Paginis Scripturæ, in tabulis Ecclesiæ. Citra eam *omnis sapientia, apud* DEVM *stultitia est*.

CLARISS.

T TEMPVS, res omnium pretiosissima, vilescit: in cujus vnius possessionem natura nos misit, contemnitur; vnicum æternitatis seminarium otiosè excolitur, teritur, conteritur. Magnaque pars illius elabitur malè, maxima nihil, tota aliud agentibus. Optimè tamen collocari, vitæ totius pretium est. Volat irrevocabile, devorat cuncta quæ progenerat. hæresque illius vna fermè, & sera nimis pœnitentia.

V VIA igitur vobis modò, aperitur duplex. Altera per vitiorum lubrica, ducit ad exitium: altera per virtutum culturam, tendit ad felicitatem. Eligite, & præeligite; vobis namque, &

Vel amor aeternus, vel mors aeterna paratur.

DE BOTRV X

X. Iſtud olim Victoriæ ſignum, vexillum Gloriæ. Crux ſcientiæ & ſalutis theſaurus, CHRISTVS fons gratiæ & virtutis. Veſtrum illud A. Ω. Emblema, Stemma diviniſſimum. Vna hæc Chriſtianis olim Maioribus noſtris, poſt mortem Epigraphe. Vultis Chriſtianè mori? vitam paradoxon efficite. Mundana ſtercoribus annumeranda, deliciæ habendæ pro ſupplicijs: amici diligendi in DEO, hoſtes etiam capitales propter DEVM: alienas calamitates, vt ſuas ſibi proprias induere: proſpera metuere, in adverſis animo eſſe forti, alto, exaggerato: vitam patienter tolerare, mortem peroptare. Concludamus cum Hieronymo, nihil *Christiano* imbecillius, qui à carne ſuperatur: nihil fortius, qui vincit Diabolum: nihil laborioſius, qui quotidiè de ſalute periclitatur; nihil felicius, cui promittitur Regnum celorum. *Quid enim*, amabo vos, *Homini prodeſt, ſi univerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

CLARISS. Felicissima ego de vobis, CLARISSIMI PARENTIS DILECTISSIMI LIBERI, opto, voveo, auguror. Valete. LVTET. PARIS. KAL. IANVAR. AN. MDCXLVIII

CL. V.

D. DV-BVRGO,

IN BVRDIGALENSI

Parlamento Senatori.

PROMVLSIS MEDICINAE VI

SApientum olim convivijs, VIR CLARISSIME, meminêre priscæ Eruditionis Promi-condi, circumulatam vltrò cytròque Lyram; singulis in mensa, ad sonum chordarum vocem attemperantibus. Enimverò si quis inter Convivas Musices imperitus, is myrtheum manu ramum præferens cogebatur ad eum canere; vnde nata Fabio, Plutarchoque celebris paræmia,

ἀδεῖν πρὸς μυῤῥίνην. Eundem certè inpræſentiâ mihi pudorem ſuffundit materia, qua de tecum tractaturus accedo. Neque revera auderem ego meæ conſcius profeſſionis ſimul & tenuitatis, in alieno choro pedem ponere; niſi materia hæc ſaluberrima, noſtræ circulis Sapientiæ includeretur. Accedit ſumma familiaritas tua, cum eo Apollinis & Æſculapij Filiolo *Chambrao*; quem & mores candidiſſimi, & eruditio, quæ iam per tot accuratas Lucubrationes publicè claret; mihi ſuſpiciendum pariter, & amandum effecêre. *Medicinæ* ergo Sūmam, pro modulo digeſturus; præludam per te, apud rerum iſtarum peritiſſimum, brevi Commentatione. DV-BVRO.

PRINCIPIO quidem juxta celeſtis Sapientiæ oracula, Medicina nobis in amore & honoribus eſſe debet; ; propter quam à primorum Parentum lethali contagione, traximus neceſſitatem. Summo tamen videndum opere eſt, quod olim de celebri Græcorum Republica neſcio-quis Sapiētum egre-

CLARISS. gié pronunciavit; Medicorum multitudo, perdidit Athenas. Hinc illa quoque, subjũgit Plinius, infelicis monumenti inscriptio, turbâ se Medicorum perijsse.

Πολλῶν Ιαξῶν εἴσοδος μ᾽ἀπώλισε.

Sanè ex Platonicorum mente & doctrina, Apollinem duos filios fertur genuisse in commune bonum Generis-Humani; Aesculapium, Medicinæ Deum: & Socratem, Sapientiæ Coryphæum. Hunc, qui animi corruptelis: illum, qui corporis infirmitatibus mederetur; adeò antiquus est vsus, & veneratio Medicinæ.

VII At eam mox invenio *duplicem*, Dogmaticam quàm vocant: seu vt habet summus ille πολυμαθεὺς Mirandulanus, Rationalem. Et Empyricam, quę vel ab igne præcipuo Spagiritarum instrumento: vel ab experientia, & vsu magistro (inquit Plinius Iunior) efficacissimo, nomen sortitur. Nam tertium genus, quasi medium: & Vestrati Ausonio,

Triplex quoque forma medendi;

quia parum differt, refertvè ad institutum, hîc mihi neutiquàm recensetur. DV BVRG.

DOGMATICAM igitur separatim à Sapientia, primus Hyppocrates: Galenus deinde, & alijs certis legibus ac præceptis circumscripsêre. Empyricam scrutari sunt ex Elementorum mixtione primaria, Metallorum distillatione, Herbarum viribus, Rerum quintessentijs Curiosi Homines non pauci. VIII

Prioris commendatio ex ipso capite oritur, quod *Dogmatica* est. Quæ enim Ars vel Disciplina absque certis regugulis, principijs ac præceptionibus? An-non Theologia, Philosophia, Grãmatica, Mathematica: ipsa quoque & Historia, & Rhetorica suis terminis ac repagulis continentur? Vt etiam Disciplinas omnes in ordinem mittere, Dialectices munus sit & officium. DEI nimirum exemplo, qui & ipse leges præfinivit; in Orbis fabrica, in celestium conversione, in terrenorum & varietate, & vicissitudine. Sapienter itaque Aristoteles, vbi desinit Philoso-

CLARISS

phus, ibi ait incipere Medicum. Medicina namque Scientia est, Philosophiæ subordinata: etiam Soror, stylo Tertulliani. Et Platoni finitur in Charidemo, Scientia tuendæ Sanitatis; vel cavendo, vel conservando. At cùm Hominis sanitas, ab ejus cognitione pendeat: & istâ nihil obscurius sit, illâ nihil pretiosius; an temerè sine scientiâ, & fortuitò sanitas Hominum: vitâque, cujus jactura irreparabilis, procuranda est? Si fenestella in Hominis pectore, ægritudinum principia nostris aperiret oculis; esset sanè præclarum doctrinæ, & salutis compendium. Sed quanta ibi caligo, & quàm densa inter tenebras discrimina! Audebis, mi Homo, in conjectura adeò periculosa; vitam tuam committere naufragij tabulæ, potiùs quàm peritis in arte navigandi.

Similitudinem ex Machaonis simul & Themidis sinu, suggerit Sebastianus Foxius in tertium Platonis Dialogum. Ibi rarus Autor Stemmate, Ingenio, Infulis paucis comparandus; Medi-

cum Iudici persimilem ostendit, tum ex professione, tum ex munere. Iudex virtutis nævos abstergit, Medicus corporis morbos eliminat. Ille judicat, sed quomodo? Certè non Schytarum more, sine lege & examine: sed ex æqui, bonique ratione; secundùm allegata, probata, codices, leges, canones, testes, præjudicia? Quid-ni ergo ex regulis scientiæ & rationis, judicet Medicus? Nam si vtrique velum ad oculos, non statim vt cæci sint: sed solùm tollitur eo Emblemate, conditionum discrimen. Ita-vt jus Opilionis servandum præscribatur, haud minùs quàm Cæsaris: Princeps curetur salubriter, magis quàm curiosè. DV BVRG.

Quid exempla referam omnium in hac Arte Principum? Hyppocrates, Galenus, Virgilius, Paulus Aeginas: & nostro ævo Fracastor, Gemma, Marsilius Ficinus, Vallæus: nostroque Regno Gorræus, Blac-Vaudæus, Fernellius, Du-Laurentius, Ioubertus, alijque non obscuri nominis Medici; fuêre Regibus, Provincijs, Vrbibus,

CLARISS. Populis acceptatissimi simul & vtilissimi. Verùm illi prorsus Vniversi, Sciẽtiæ luminibus & methodo in florentissimis Academijs hausto, Medicinam didicerunt, docuerunt, illustrarunt, exercuerunt.

IX Non desunt tamen etiam extra vulgus Abecedariorum, quibus ex adverso *Empyrica* videtur & longè certior, & multò vtilior. Experientia enim, aiunt, omnium magistra est: omnibus seculis viguit, à Deo ipso videtur instituta; & eam audent appellare Medicinæ florem, immò & miraculum. Nam quæ virtus, te amabo, in aquis mineralibus, Spadensibus, Poguensibus, & alijs? Dicant Dogmatici, vnde tot in vno loco contrarij effectus? Esto, leges prescripserint quique Eruditi, ætatis sue morbis; at quot novi quotidiè, & antiquis penitus ignoti? Adde ætatum, climatum, locorum, corporum variationem; in queis fallunt præcepta Scientiæ, quam idcircò semper discordem, mutatoriam fermè annuatim efficiunt. Experientia secùs semper vna,

quia non vni morbo remedium hoc & illud addicit: ſed eminenter cetera continens, palato gratum, ſtomacho facile, ſanitati recuperandę tam promptum, quàm efficax. DV BVRG.

Tantas certè lites componere, noſtrum minimè eſt. Subit ſolùm mirari, cur tantoperè jniquus in Servatores Generis-Humani Naturæ Commentator Plinius? In Prœemio namque Libri ſui vigeſimi noni, indignabundus criminatur Artis Medicinæ inconſtantiam, Medicorum factiones, & carnificinam. Increpat veſaniam, quaſi fata regere ſe jactitent, famam aucupentur, ſemper aliqua novitate animas negotientur: invidioſè concertent, ne aliorum ſententijs accedere videantur. Garrulitatem demum ſimulque oſtentationem Artis exprobat, & portentoſam ſcientiæ venditationem. Acutum iſtud haud negarim, artem ſæpè eam diſci periculis noſtris: & per experimenta mortis agi non impunè ſolùm, ſed culpâ etiam in pereuntes & innocentes rejectâ. Illud autem, me Iudi-

CLARISS. ce, veriſſimum; vitam eo feliciorem, quò minùs obnoxiam medicamentis. Qui etenim medicè vivit, vivit miſerè. Vtvt ſit, præponderavit ſemper apud me Catonis cenſuræ, divini Sapientis oraculum. *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſsimus. A* DEO *eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput eius, & in conſpectu Magnatorum collaudabitur.*

TESTIS non infimi ſubſellij Amicus ille tuus; qui tot annos Legum, et Reipublicæ valetudinem in Nomophylace illuſtriſſimo, egregiè tuetur. X Paria amicitiæ facit ille tecum, VIR CLARISSIME; qui ingenuitate preclara, indole prænobili: probitate, eloquentia, liberalitate; alijſque ingeniorum illicibus: Aulæ, Curiæ, Lutetiæ Optimates provocans, me tibi firmiſſimo glutino tenes devinctum. Debebatur verò hæc tibi Medicinæ Pagina, qui noſtra Studia approbaſti non ſemel. Si enim ex Sacrorum Canonum præceptis magis quàm ex Catonis ſuperci-

percilio, vetamur Artes eas Aesculapij perdiſcere: ſaltem inſpicere, properantes ad noſtra Theologica, non fuit nefas. Etenim præterquamquod Scientia Macrobio, jam cenſetur conſecrata; extat in Evangelio, frequens vſus et ἀλληγορία. Palamque eſt noſtrum IESVM ex nominis Etymo, et ἀκροστιχίδι Sybillæ; Humani-Generis ἀρχίατρον, præclaro elogio agnominari. Illum Soſpitatorem tibi, mihique apprecor; vt ſit ſemper, *mens ſana in corpore ſano*. LVTET. PARIS. POSTRID. KAL. MART. AN. MDCXLVIII. DV BVRG.



CLARISS.

CL. V.

IACOBO ALBANO GIBBESIO BRITANNO, MED. DOCT.

ET

In Romana Sapientia Eloquentiæ Professori Primario.

LVCVBRATION. XI

AMICITIA generosis vinis simillima, quò annosior, eò pluris æstimanda. Talis profectò est, VIR ERVDITISSIME, mutua inter nos necessitudo; quippe cui cultu propemodum vicennali, in Vrbe sancta tertiùm iam operari fas est. Sinceram non inficiabitur, qui primum illius magnetem & glutem intelliget Cardinalem; cui pares reverà paucos tulit Patrum Sena-

tus, ex quo Purpuram induit. Nam si ex placito Lycei, tertio non junguntur duo, quin isti inter se invicem copulentur; Eminentissimo *Spada*, per omnia magno, sine mutuo inter nos fœdere non possumus ambo esse perinde addicti. Veneror ergo illum diutino cultu, grandique, quem pridem humanissimè permisit, affectu. Tu clientelâ domesticâ meruisti patronum, cui servire pars est felicitatis non vltima. Novus postliminio Romæ inquilinus, nostrum porro Spadam inveni; quem planè reliqueram, firma per Numinis indulgentiam, tuasque curas, valetudine, viribus vegetis, vultu ad Imperia nato: benevolentiâ in suos clientes vrbanissimâ, animo litteris & litteratis semper favente, zelo erga virtutem verè heroico; mente vbiquè negotiorum exaggerata, sublimi, firma. GIBBESIO

OCCVRRISTI & tu, VIR CLARISSIME, sed te ipso major; auctus videlicet fama & Lucubrationibus tuis, publico victuris & Posteritati. Inchoata videram olim cum amore, totius Eruditio- [XII

CLARISS. nis monumenta, quæ iam obtulisti ad stuporem absolutissima. Quid enim preclara illa tua Poësi aut numerosius, aut elegantius? Quid solutis orationibus & Epistolis, tersum magis & vltimâ lineâ perpolitum? Illa, non adulor, Maroni redivivo crearet invidiam, ista augeret Ciceroni. Quo minùs miror optatum te abs Alexandro VII. qualis autem, & quantus Iudex? Publicum Eloquentiæ Professorem, cum honorarij auctuario, & existimatione non quotidiana.

Illud verò mihi præcipuum, quod iam olim *Opellarum* nostrarum favitor, nunc et agere Promotorem non dedignaris. Pareo, Mi Gibbesi. Ius omne paternum in libros, ceu liberos, tibi transcribo. Cura adoptatos, vt facis naturales. Si hæc Epistolarum tyrocinia, prælum nanciscuntur non, vt Romæ solet, rude & ingratum; eant per me licet in publicũ, cum *Scientiæ Divinæ Contextu*, nostra tum *Philocalia*, tum *Analecta*; quibus omninò Tomis tribus, clauditur meum Stvdivm Sapientiae

VNIVERSALIS. Verùm dum tanto affectu aliena curas, noli de tuis esse aut incuriosus, aut publico invidus. IN VRBE POSTRID. KALEND. DECEMB. AN. MDCLX. GIBBESIO

NOBILI, ET ERVDITO N.

SVÆ APVD BATAVOS

Theologiæ Professori.

DE REALITATE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI XIV

INdolui non semel, VIR ERVDITE, solemnes de Fide controversias, pessimo seculi fato vix aliter tractari; quàm per factionem, bilem, rixas, & amarulentiam. Eliæ proles memini ego non in igne, non in commotione, non in turbine Dominum, sed in spiritu auræ tenuis: reprehensosque à CHRISTO Domino, è suis Discipulis Fratres duos; quod ipsi etiam Magistro IESV rebelles, & injurios fulmine elidi peroptarent. Vncti nos meliori Chrisma-

CLARISS. te, cum nostris præsertim Fratribus summa semper mansuetudine agendum existimavi. Christiani certè nomen, *Quantùm* Tertulliani, *interpretatio est; de vnctione deducitur, de suavitate, vel benignitate compositum est ac modutum*. Id mihi consilij, cùm ad te scribo de veteri tibi Amico, Viroque percelebri; qui nudius tertiùs è Calvini Secta ad nostras partes afflatu, vt credimus divino, transijt. Rogavit vt tibi, licet dudū extra Galliam posito, quod ab eo factum est probaretur. Exequor id paucis, styloque qualis decet veritatem, candido & sincero.

XV AMICVM ergo tuum, VIR ERVDITE, eædem rationes in Ecclesiæ Catholicæ gremium impulere; quibus detentum se in ea D. Augustinus testatur, Libri contra Epistol. Fundam. Manichæorum. *Multa sunt*, inquit, *quæ in Ecclesiæ gremio me iustissimè tenent. Tenet consensio Populorum, ac Gentium: tenet Autoritas miraculis inchoata, Spe nutrita, Charitate aucta, Vetustate confirmata. Tenet ab ipsa Sede Apostoli, cui pascendas Oves sua*

post Resurrectionem Dominus commendavit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas Hæreses, sic ista sola Ecclesia obtinuit; vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dicere velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conveniatur; nullus Hæreticorum vel Basilicam, vel domum audeat ostendere. Quæ quidem notæ & veritatis χαρακτῆρες cùm in Heterodoxis minimè appareant, mirum certè videri debet nulli; si Amicus ille tuus novo, haud tamen præcoci consilio, tandem in Catholicæ Fidei portu conquiescendum putavit.

PROFESS BATAV

Indignaris, non dubito, ad insolens factum, VIR ERVDITE; cui cum nostro Neophito, conjunctissima intercedebat amicitia. Verùm vt rationis amans es, omissis ceteris omnibus quæ circa Religionem majori haud dubio sæpiùs animorum contentione, quàm pietate agitantur; rationes præsertim, quibus realem illi CHRISTI IESV præsentiam in augustissima Eucharistia

CLARISS.
...

persuasi; compendio aperire, meum, ex illius nutu, consilium est. Idque duplici de causa. Avet enim non parum scire te, ab eo susceptum nihil, nisi post mâturam, seriamque pensitationẽ, deliberationẽ, meditationem. Percupit deindè hoc in negotio (quod suevit passim) honore, quo te hactenus prosequutus est, nũc quoq; summa cum submissione defungi. Quamobrem vt ea de *Sacramento Altaris* difficultas, præcipuè controvertitur: & magni, vt est revera momenti, Doctissimo cuique apparet; ita planè vbi semel decreta fuerit, reliqua quæ solent agitari nullo negotio discutientur. Porro eam mihi solemni ritu in probando themate, methodum ineundam existimavi; quæ duce Scriptura, Patrum, & Conciliorum subsidio, ratione demum comite individua, rem propositam sit probatura.

XVI Vt igitur à *Scripturis* exordium sit, calamo occurrit primò solemnis illa CHRISTI Domini sponsio; quâ Iudæis palam audientibus, huius Mysterij veritatem pollicetur. Refert id Ioannes

capite IV. *à versu* 40. *ad finem vsque*. Non quòd velim obſtinatè agi hoc loco de Sacro-ſancta Euchariſtia, cùm id negent Hæreticorum Coryphæi omnes. Solùm quia video Plebeculam iactare paſſim, verba inibi prolata; in illorum contextu, & ſerie hæc obſervo. PROFESS. BATAV.

I. Panem quem è celo CHRITSVS tunc Auditoribus promittit, *mannæ* præfert. Ergo aliud quidpiam debet continere præter meram fidem, quæ & locum habebat in Lege-Veteri.

II. Verſu deinde 53. diſertis verbis teſtatur Meſſias panem, quem daturus eſt, *carnem ſuam eſſe pro mundi vita*. Atqui caro CHRISTI, vera eſt caro: non fictitia, non phantaſtica, qui error eſt obſoletus. Vnde exiſtit inibi memorata Chapharnaitarum, quin & Diſcipulorum offenſio. Quippe qui ſimplici ac genuino ſenſu, verba CHRISTI intellexêre. Nec verò illorum opinionem Dominus refellit, ſed arguit dumtaxat dubitationem. At verò quis credat CHRISTVM IESVM, qui tantoperè ſitiebat Hominum ſalutem, paſſu-

rum vnquam fuiſſe; vt tot Diſcipuli
CLARISS. ab ipſo diſcederent, ſi poterat vno eos verbo abeuntes revocare. Enimverò poterat verbulo vno, ſi nimirum addidiſſet; loqui ſe figuratè, remque facillimam creditu à ſe propoſitam.

III. Vrgeo quod conſequens eſt, *Hoc*
XVII *vos ſcandaliſat*. Nam quicquid demum admittatur, confirmabit ſemper realem in Euchariſtia CHRISTI Domini præſentiam. Fac enim voluiſſe Præceptorem diviniſſimum rem vnam mirabilem, alia ſaltem æquè mirabili roborare; non ſecùs ac *Matth.* 10. dubitantibus Iudæis poſſet-ne CHRISTVS peccata condonare? Probat ipſemet teſtatiſſimè, ſanando Paralyticum; ſemper obtinemus cauſam. Ratio in promptu. Si non promiſiſſet CHRISTVS veram carnem ſe daturum, futile fuiſſet ac ſupervacaneum ſuam probare potentiam ex modo Aſcenſionis. Age iterùm, hoc loco reprehendat Dominus IESVS incredulitatem Diſcipulorum: doceatque maiorem habituros occaſionem dubitandi abſente CHRI-

STO, siquidem præsente dubitant. Itavt si sensus. Istud verò scandalisat vos, ò boni, quòd carnem meam vobis edẽdam dare velim; quid ergo erit consilij, cum in celum ascendero, & procul ab hoc Orbe? Hoc certè ratiocinio mirificè confirmatur Catholica veritas. Fingamus enim promisisse CHRISTVM quod huc vsque rentur fascino Calvini decepti, Corpus suum sola fide percipiendum; quid tum opus, vt vetus fert adagium, canere tam longis tibijs? Sanè difficilior fides, visâ CHRISTI Ascensione; posterius siquidem suasio est, & præiudicium anterioris. PROFESS. BATAV

IV. Sciscitantibus Iudæis, quanam id fieri posset ratione, cùm videretur effugere sensum communem; non respondet CHRISTVS id fieri non posse, aut debere fieri dumtaxat per fidem. Quanquàm ea responsio erat in proclivi, & dubio procul omnem ab illorum animis scrupulum exemisset; vtpotè spirituali in deserto manducationi assuetis. Sed iterum atque iterum eadem, quę priùs, verba inculcans, subjungit absque vlla explicatione, vt

CLARISS. Carnem ſuam comedant, Sanguinem bibant.

V. Comedentibus huiuſmodi Carnē, vita promittitur: & illa quidem realis per Gratiam, & Gloriam. Ergo & exinde realis Carnis ipſius eſitatio, haud iniquè conijcitur.

VI. Iterato ſubjungit. *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem; in me manet, & ego in illo.* Atquin mutua hæc manſio realis eſt, quid ni ergo caro realis? Adde vocabulum *verè*, *ἀληθῶς*, excludere omnem figurā, ſeu tropum: & denotare verba ad literam, & ſimpliciter ſumenda; conſequētur veram & realem manducationem veri & realis Corporis, intelligendam.

VII. Sic ſoluta Iudæorum quęſtione, quamquam ſubnectit verſu 64. *Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt*; haud tamen retractat quod ſuperiùs toties inculcatum fuit, de Carne & Sanguine. Non quidem explicitè, ſeu formaliter; quia negatio præcedētium, non adiungitur. Non item implicitè, ſive virtualiter; quia ita credunt Ca-

tholici esse veram & realem Carnem, sub Speciebus consecratis, vt nihilominus spiritus & vita sint. Sic Cyrillus interpretatur Carnem revera per se, & præcisè sumptam nihil proficere; cùm Divinitas sit, quæ Carnis ministerio vitam confert, quemadmodum & in ceteris Humanitatis CHRISTI miraculis. Sic Augustinus negat, Carnem CHRISTI prodesse; nempè si ferino, & laniat carnis modo in esum sumeretur. Immò cùm rem affirmet, nec insinuet modum; credendum haud dubiè reliquit, id fieri spiritus ratione. Ita nimirum quod ad instar spiritus, Caro tota sit in tota Hostia, & tota in qualibet parte. Quinetiam spiritualis Communio, quam vocant Catholici, hinc inferri legitimè potest. Conjunxit itaque vtramque manducationem. Putà vt qui ante CHRISTI mortem, in cujus pervigilio Cœna instituitur, è Iudæis erant obituri; per hunc fidei actum, & spiritalem manducationem reali tamen Carni innixam; vitam æternam assequerentur. PROFESS. BATAV.

VIII. Proposita pro coronide Car-

ΛISS. nis hujus manducatione à CHRISTO, obiecta quæstione & difficultate à Plebe, solutâ quidem à CHRISTO; *Multi* inquit Evangelista, versu 67. *Discipulorum abierunt retro*. Quippè ex verbis, & quæstionis solutione; non aliam, quàm realem manducationem Carnis colligentes. Si enim CHRISTVS esum dumtaxat figurativum injecisset, nulla erit occasio scandali vt ab illo discederent. Hæc præambula, iam presso gradu rem ipsam conveniamus.

XVIII SECVNDO igitur loco expendi debent verba institutionis, non sine mysterio Synonima Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Tandem 1. ad Cor. 11. Vbiquè idpsum reperies. *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*. Quæ equidem nativo, genuinoque sensu pro-vt sonant; citrà tropos ac figuras accipienda, quæ sequuntur rationes luculenter evincunt. 1. Ex August. 9. *controv. Legis & Prophet.* In omni doctrina, proprietas verborum servanda est, quantùm fieri potest. Et Scripturæ omnes in proprio, & literali sensu accipi debent, quoties indè nihil absurdi

enaſcitur. Quid autem, amabo te, ex ea reali præſentia abſurdum fingi poteſt? Poſſe verò id fieri, *Rationes* infrà declarant. Certè nulla prorſus ἀδύνατον id convincit. PROFESS. BATAV.

II. Quorsùm in tali negotio metaphora? In confinio exitus vitæ, vbi verba perſpicua, ſi vſquam: in amicorum privato, familiarique convivio; cùm nullus parabolis locus; in maximi omnium Myſterij inſtitutione, cùm clarè ac liquidò docendi erant Diſcipuli, & per hos Fideles de tanto Fidei Myſterio. Immò & ex collatione Scripturarum, hîc parabolam minimè necti quivis deprehendit. Verba namque pauca ſunt, clara, perſpicua: ingens beneficium, nullum incommudum in ſeſe continentia. Dic etiam, ſodes, ſi ea fuiſſet mens CRISTI, & voluntas faciēdi id quod credunt Romani; dandi ſcilicet, verum ſuum Corpus, & verè manducandum; quo alio ſermone, quibus tādem expreſſioribus, & ſignificantioribus verbis ſuum potuiſſet cōſilium declarare? XXX

CLARISS. XIX

III. Iuris regula est, Digest. de Leg: *Verba Testatoris, in proprio sensu accipi debere*. Atqui ea in vltima Cœna, CHRISTVS condit Testamentum; quo nimirum ad Filios, Fideles videlicet suam transmittit hæreditatem. Non ergo obscurè loquitur, & verba Testantis nativissimo sensu sunt accipiẽda. Quòd porro id sit Testamentum: ipse palam edisserit, ne quis dubitet: *Hic calix novum Testamentum est, &c.* Quæ verba tam sunt in genuino sensu vera, quàm de panis consecratione superiùs verissima. Calix namque verum est Testamentum, seu fœdus quod nobiscum CHRISVS sancivit in suo Sanguine. Vel Calix instrumentum est Testamenti, seu charta scriptitia rem continens Testamento relictam, putà CHRISTI Sanguinem. Quinimmò nisi esset verus CHRISTI Sanguis relictus, verum quoque novum-Testamentum in eo Sanguine sancitum posset negari. Intereà Novum-Testamentum in Sanguine præsertim positum scribi autumo, quia dogma Fidei est à Paulo sæpissimè prolatum

latum; Sanguinem CHRISTI, præcipuum esse humanæ Redemptionis instrumentum; cùm eius fusione Ecclesia mundata, lota, acquisita memoretur. Quòd si quis adhuc scrupulus residet ex collatione vtriusque institutionis Carnis & Sanguinis, mirum nō est. Nam verba quibus panis consecratur, *Hoc est Corpus meum*; simplicia sunt, & vnivoca. Verba autem quibus Calix consecratur, *Hic est Calix novum Testamentum &c.* vtpotè æquivoca, in varios significatus possunt detorqueri; sed omnes omninò Catholicę veritati consentaneos. Adde Matth. 26. extare; *Hic Calix novi Testamenti est*.

PROFESS. BATAV

IV. Magis stare videntur cum Romana, eaque Catholica interpretatione minaces Pauli sermones, cōtra istud Fidei Sacramentū indignè participantes; quos reos Corporis & Sanguinis, non figuratè dumtaxat, sed reipsa denūciat. XX

V. Pensitatio verborum, quorum in consecratione est vsus, maximi apud Iudices æquos debet esse momenti. Nam de corpore subiungitur, *quod pro vobis* XXI

datur; quid-ni reale? Et de Calice, phra-
CLARISS. sis Græca sic evidens est, sic limpida; vt nullum aliud sit Calvini Sectatoribus, nisi in solœcismo confugium. Sic enim habet textus primigenius; τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ, ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, Asserit enim CHRISTVS palàm & evidenter idipsum esse à nobis sumendum pro nostra salute, quod in Calice continetur. Ergo verus Sanguis in Calice est. Aut certè (quod cogitare nefas) vero Sanguine nequaquam sumus redempti.

XXII VI. Ex materia ipsamet, qua de hîc agitur; arguimus verba propriè, neutiquàm figuratè sumi debere. Est enim materia pactum, Sacramentum, Testamentum, Lex, & Dogma; quæ profectò vniversa propriam requirunt, nullatenùs figuratam locutionem. Sacramentum porrò nemo negat illud esse, de quo hîc sermo habetur. Sacramentum verò à DEO non aliter institui quâm proprijs verbis, vt in eorum vsu non erretur, perspicuum est institutione Sacramentorum omnium Veteris, & Nó-

væ Legis. Certè *Genes.* 17. vbi institui-
tur Circumcisio, & *Exod.* 12. vbi insti- PROFESS. BATAV.
tuitur Agnus Paschalis: & toto *Leuit.*
10. vbi tot Expiationes, & Sacrificia
instituuntur; vix vnquam vna occurrit
vox figurata. Sic etiam *Matthæi & Mar-
ci vltimo*; vbi de Baptismi institutione
agitur, omnia proprijs vocibus exaran-
tur, explicantur, Neque obstat quòd
Ioan. 3. CHRISTVS Dominus vtitur vo-
ce renascendi, quæ videtur Metapho-
rica. Nam ibidem explicatur vox illa,
per adjuncta hæc, *ex aqua, & Spiritu-san-
cto*. Adde non pertinere vocem illam
ad Sacramenti essentiam, sed ad effe-
ctum significandum. Quis ergo credat
CHRISTVM dum instituit primarium
nostræ Religionis Sacramentum, ita fi-
guratè, & ambiguè loqui; vt ne ipsi
quidem Doctores Legis divinę inter se
convenire possint, quidnam sit hoc Sa-
cramentum: panis-ne, an Corpus Dñi?

XXIII

Deinde Testamentum Novum fuis-
se simul à CHRISTO IESV institutum,
patet ex illis verbis; *Hic est Sanguis meus
novi Testamenti*, Matth. 26. Vel vt habe-

tur Luc. 22. *Hic est Calix, novũ Testamen-*
CLARISS. *tum in meo Sanguine*. Iam verò nil solet magis propriè, simpliciter, & enucleatè explicari, quàm Testamentum; ne scilicet detur occasio litigandi, de voluntate Testatoris. Ita videmus *Exod*. 24. vbi vetus Testamentũ instituitur, omnia proprijssimis vocibus explicari. Idem in Testamento Hominum fieri quotidiè intuemur. Nam *Genes*. 49. Iacob moriens inter vaticinandum varijs figuris vsus, ad ipsum Testamentum vbi accedit clarissimis verbis vtitur; *Ego congregor ad Populum meum*, &c. Sic quoque David Princeps inclytus 3. *Reg*. 2. (vt de Tobia, & Machabæo mentio minimè fiat) testamentum suum proprijssimis verbis proponit. Quid-ni igitur Christvs, Testamentum illud suum tanti momenti, quo de hæreditate æterna agitur, verbis apertis proposuerit?

Porro esse in his verbis Legem, pa-
XXIV tet ex textu; *Accipite, manducate, hoc facite*. Esto enim non obligent fortè contextus illi, cunctos præcisè & promiscuè Homines ad Eucharistię sumptio-

nem; tamen præceptum eſt, quo ſaltem jubebantur Apoſtoli tunc illam percipere. Quin & etiam præceptum formaliſſimum, vt quicumque ad ſacram accedit Synaxim, tali modo ſe gerat. Iam verò verba Legum perſpicua eſſe debent & propria, ne detur locus prævaricationi. Vnde omnia præcepta, non ſolùm Decalogi, ſed etiam quoties certi ritus inſtituuntur in Lege Veteri proprijs verbis explicantur. Neque ſufficit vt dicas verba quibus continetur Lex, *Accipite*, eſſe propria. Quoniam neceſse omninò eſt, vt propriè & apertè ſignificetur quidnam ſit illud quod eſt accipiendũ, edendum, bibendum. Longè enim aliter ſumendũ eſt fruſtum panis, aliter CHRISTI Corpus. PROFESS. BATAV.

VII. Probatur ſimplex & litteralis ſenſus verborum inſtitutionis, ex communi regula explicãdæ Sacræ-Scripturę. Solemnis illa eſt, vt nunquam dimittamus proprium verborum ſenſum; niſi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel abs aliquo Fidei articulo indubitato, aut certè à communi Eccleſiæ ex- XXV

CLARISS plicatione. Si namque ſecùs agitur, peribit illicò Fides omnis: & remanebit opinio ſola de rebus DIVINIS, portaque panditur erroribus infinitis. Id quod poteſt probari exemplo Adverſariorũ; quibus non tam fides, quàm mera opinio: & quidem in mille figmenta hydreſcens, circa iſtiuſmodi Sacramentum. Revera enim quod aſſerunt, nec nititur expreſſo DEI verbo; cùm verba expreſſa non ſint, hoc ſignificat, ſed *Hoc eſt Corpus meum*. Neque alio pariter nituntur verbo. Vbi enim, quæſo, invenies in Scriptura; *Hoc eſt Corpus meũ*, debere exponi tropicè? Proferatur nominatim, & retractabimus.

XXVI SCRIPTVRAE ſubiungi debent illius interpretes SANCTI PATRES, re & nomine clariſſimi. Omnes nimirum quà Oriens patet, quâque Occidens: huius Euchariſtici Myſterij veritatem in Græca, inque Latina Eccleſia monimentis conſignarunt. Selegi itaque è primis ſeculis, quorum teſtimonia luculentiora in medium producam. Parum enim refert, quod interdum totã

Cœnam tropicè, & figuratè interpretentur. Primò enim hi rari sunt. Deinde rariùs etiam eo more symbolico loquuntur. Tum hi ipsi sæpiùs, & sæpissimè alibi de reali præsentia, & manducatione præscribunt. Adde quod id mysterij Cathecumenis, ac Neophytis enucleare metus illis erat, ne calumniæ locum darent. Tandem fortè illis tunc sermo de spiritali manducatione, & sumptione in voto; quam scio à Catholicis & admitti, & verò in dies sanctissimè exerceri. Vtvt sit nunquam excludunt, eliminant nusquam realem præsentiam, ex eo quòd figuram interdùm admittunt: & in vtramque oris, & fidei communionem simul consentiunt Autores Catholici. Aut certè detur vel vnus inter tot ac tantos, qui disertis verbis inficietur realiter Corpus CHRISTI in Eucharistia existere; cùm selecti è turma & testium nube, id planè, apertè & sæpè pronuncient. Bibis tu in fonte, VIR ERVDITE; stuporque mihi semper fuit, in vestris partibus Primarios, nescio qua fronte, qua-ve PROFESS. BATAV.

conſcientiâ, laudare pro ſe antiquita-
CLARISS. tem. Duos non ampliùs appello è Patrum choro venerabili, qui hácce materiem accuratè, & ex inſtituto pertractant. E Græcia Gregorius Nyſſenus Catechetica Oratione ſua, obiectis ſibi cunctis difficultatibus, egregièque ac dilucidè ſolutis; ſic rem acu tangit, dum concludit: *Rectè ergò nunc quoque* DEI *verbo ſanctificatum Panem*, in DEI *Verbi Corpus credo tranſmutari*.

XXVII Nec fusè minùs, aut eleganter mellitus inter Latinos Ambroſius; enucleans ritus, & doctrinam Sacramentorum. *Vbi acceſsit conſecratio, de pane fit Caro* CHRISTI. Eam autem fieri aſſerit verbo DEI operatorio, ac potentiſſimo: fidemq; provocat, qualis eſt in Incarnatione, procul vltra ſenſus & rationis rudimenta. Hic ipſe Mediolani Antiſtes, ſcribit Epiſt. 13. *manſiſſe ſe in munere, Miſſam facere cœpiſſe*. Puta ad Altaria, quibus in locis & memorijs Martyrum; *non ipſis quidem Martyribus, ſed* DEO, *qui eos coronavit, ſacrificari & afferri*, teſtatur Auguſtinus L. 20. contra Fauſt. Manic.

Adeò verissimè dictum est à Gaudentio Brixiensi, Tract. 2. in Exod. *Sacrificium munus esse hæreditarium Testamenti Novi*. Nostin' & Augustini testimonia, vbi docet CHRISTVM *tulisse seipsum in manibus suis. Quando commendans ipsum Corpus suum, ait; Hoc est Corpus meum?* Rursùs CHRISTVM corde & ore suscipiendum, quando Carnem suam manducandam, bibendumque Sanguinem dedit; *quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere: & humanum Sanguinem potare, quàm fundere*. Quæso te, quis Augustinianæ exaggerationi locus; si Cœna nil continet nisi purum panem, merum vinum? Vbi *horror* ille, & plusquàm barbara immanitas? Vbi nulla caro, sanguis nullus: sed Cereris & Bacchi libũ, nihil vltra. PROFESS. BATAV.

POSTREMO sigillum apponent *rationes*, & ex se validissimæ, & contrarijs lõgè validiores. 1. Ludere videntur oppositarum partium Scriptores, qui in vnius sententiolæ, quæ ex se satis clara est & evidens; miserè desudant, & putidè semet lacerant. Constat namque XXVIII

CLARISS. Lutheranos simul & Calvinistas non à Romanis solùm, sed à seipsis invicem pluribus parasãgis dissidere. Cùm tamen in difficultatis nodo, & Mysterij intima substantia nemo Catholicorum non conspiret.

II. Necdum satis ab eis explicatum, quidnam sit illud quod toties in Heterodoxorum templis decantatur; CHRISTVM *in Cœna, ore Fidei manducare*. Profectò enim tam rectè manducari CHRISTVS ore Fidei potest, & bibi in oleo, saccaro, &c. quàm in pane & vino. Et quoties vrgent Catholici, simili planè modo manducari celum dum creditur, & speratur: Infernus dum creditur, & timetur; certè non video effugium. His addo, nec fidem, nec amorem, nec vllum actum Creaturæ, obiectum suum efficere, seu producere; cùm illud semper supponat, effectusque sit, non causa. Adeò & in ipsis fictitijs Entibus, quæ rationis appellant Philosophi; objectũ præintelligitur actui cognoscitivo, tametsi ab isto ducat originem.

III. Si reliquę omnes Veteris-Testa-

menti Figuræ completæ ſunt, cur hæc ſola de Agno Paſchali erit incompleta? In quonam, amabo, diſſimiles erimus Iſraëlitis; ſi Cœna, vt illi manna, per fidem ſolùm manducemus? Aut Manichæis, Marcioniſtis-ve; qui Calviniſtarum prodromi illud Io. 1. VERBVM CARO FACTVM EST, interpretabantur planè; Verbum Caro factum eſt, ideſt figura Carnis? An, te precor, ovum ovo ſimilius? Cùm igitur Cœna extenſio ſit, & conſummatio Incarnationis; tam iſta realis cenſeri debet, quàm hæc fictitia, & vmbratilis minimè eſt. PROFESS. BATAV.

IV. Cur tantoperè primævi Patres & Eccleſiæ Doctores, iſtud Fidei Myſterium occuluerunt? Cur in Apologeticis, dum ſeſe purgant ab Infanticidio; de manducatione ſpiritali, fruſtoque panis: Calviniſtico, inquam, Symbolo non interpretantur? An fuiſſet nova res in Iudæa per fidem aliquid ſignari, cùm in manna exemplum proſtaret? Sanè non video cur Cœna fuiſſet Myſterium, ſi nihil haberet aliud à novella opinione. Quamobrem quo- XXIX

CLARISS. que sciscitor, quis sacra super Hostia jurandi mos antiquus? Cur, & quomodo in illius institutione ingens & insueta DEI potestas, toties à sacris Autoribus commēdatur? Cur antiquitùs denegata Histrionibus, Energumenis, publicè Pœnitentibus? Quare tanta olim adversùs illam reverentia, vt nihil coram θυσιαστηρίῳ nisi thus & lumen? Neque accederent plerique ad Synaxim, nisi Discalceati; vt Moses, ad Rubi ardentis portentum? Quin & adorarent omnes passim, eo vsque citra Idololatriam, quod acutè Augustinus, qui multus in hoc cultu; *Vt locus integer addendus videatur*. Exponens itaque verba illa Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*; sic egregiè, & ad institutum ratiocinatur Vir incomparabilis. *Quid habemus adorare?* Scabellum pedum eius. Sed videte Fratres quid nos jubeat adorare? Alio loco Scriptura dicit, *Celum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Ergo terrā nos iubet adorare, &c? Fluctuans converto me ad CHRISTVM,

quia ipſum quæro hîc, & invenio quomodo ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. *Nemo autem illam carnem mãducat, niſi priùs adoraverit*. Inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini,& non ſolùm non peccemus adorando, *ſed peccemus non adorando*. PROFESS. BATAV.

VI. Cùm Catholicæ Eccleſiæ concedere æquum ſit optima quæque, dummodò abſona non ſint,grãdis mihi videtur theſaurus, & ingens revera noſtris mentibus conſolatio; ſi reali IESV CHS ISTI præſentiâ, in Sacramento Altaris frui conceditur.

VI. Conſenſus Patrum, nec-non per ætates continuata Fidelium Traditio ſuper ea re, ingens vtique præjudiciũ. Neque verò denotari poteſt, quod fit in vniverſis pleriſq; erroribus; quo autore, loco,tempore emerſerit ſententia

adeò insolens, si non esset μάθημα τῆς
CLARISS. πίστεως. Dicatur qui tum Episcopi, Concionatores, Scriptores, Concilia nascẽti, vt assoleт opinioni sese opposuêre?

VII. Porrò impossibile id, nulla ratio Physica vnquam demõstrabit. Cùm doctrina tam de multiplicatione Corporis varijs in locis, quàm de existentia duplicis quantitatis in eodem; divinis, humanisque rationibus confirmetur. Præterquamquòd quæcumque obiectantur, hausta sunt à sensu, & ratione. Idemque prorsus robur obtinerent adversus Trinitatem, Incarnationem, aliaque Fidei Dogmata; quæ vt nil habeant contra, habent tamen multa supra sensuum & rationis disciplinam. Ceterùm rectè Leo Magnus, *Magnarum hic vigor est mentium, & valdè fidelium lumen est animarum; incunctanter credere, quod corporeo non cernitur intuitu*. Ideòq; Fidei nostræ Apostolus, eam vtiquè vocat substantiam rerum sperandarum, ἔλεγχον οὐ βλεπομένων. necnon servitutem, quæ quidquid est Humani ingenij, aut rationis eruditæ mãcipat DEO;

Αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα, εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ.

PROFESS BATAV XXX

VIII. Ad extremum quid exinde iniqui vel incommodi oriatur, vel fingendo dixerit nemo. Istud quippe Sacramentum, quo modo illud credit Ecclesia, auget DEI gloriam, favetque plurimùm humanæ saluti. Est porrò falsissimum, signum rem significatam semper eliminare. Testis CHRISTVS Infans, qui positus in præsepio, suiipsius signum ab Angelis datur Pastoribus in Evangelio. Sed enim verè haud minùs quàm venustè scripsit Optatus ille Milevitanus: *veritatem non desiderare argumenta*, retia quippe illius vocãtur subtiliter ab Augustino; qui & sapienter observat, penè frustrâ in Ecclesia laborari; si propter eos solos CHRISTVS mortuus est, qui certâ intelligentiâ possunt Mysteria discernere. Adeò præstaret cũ vltima ignoratione, ex Davidico elogio; per Fidem apud DEVM Iumentum fieri, quàm per quæstionum subtilitates & multiloquiũ, cadere in impietatem. Christianos nimirùm tutissimos facit

CLARISS. non tàm intelligendi vivacitas, quàm simplicitas credendi. Nostraque incruenti huius certaminis victoria non in contentione, sed in humilitate debet collocari.

XXXI Desino itaque Amici illius tui, Vir Ervdite, rationes cumulare; quibus ab alienis castris rediјt ad gremium, & pacem Ecclesiæ; quæ nisi sit nostra in terris Mater, Devs Pater sperari nequit in æternitate. Tanto nos dignetur beneficio benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Christi Iesv; qui virum ætate jam maturum, ingenio, autoritate, virtute pollentem oculare dignatus est in agnitionem veritatis: & dedit semetipsum pro omnibus nobis, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Ita voveo. Idib. Avg. an. M. DC. XXX.

FINIS II. PARTIS.

FR. LEONIS CARMELITAE RHEDONENSIS


EPISTOLARUM Titulus Tertius.

AD

CULTORES VITAE ASCETICAE

Nominatim

CARMELITICAE.



ROMÆ, Typis Iacobi Dragondelli.

Cum Licentia, Approbatione, & Privilegio.

ANNO MDCLXI.

EPISTOLARVM
Titulus Tertius.

AD VITAE ASCETICAE CVLTORES.

PRINCIPI RELIGIOSISSIMÆ
FRANCISCAE RENATAE
A LOTHARINGIA GVISIÆ,

Regalis Monaſterij Montis Marty-rum Abbatiſſæ.



STYLO Latino, etiam familiari, quin & erudito ſcribit ſæpè Diuus Hieronymus ad mulieres, generis æquè, ac virtutis ſplendore ſupra ſe-xum inclytas. Ad *Marcellam*, xenia VITAE I-CHR. BRE-VICVLVM I

PRINCIP. GVISIAE quæ illa miserat mysticè interpretans, pro illis Epistolam gratiarum remittit. Jactatas contra se calumnias aut acerbiùs diluit, aut altiùs spernit. Quid sit Ephod bad, & Teraphim explicat. De brevitate epistolæ excusat, illamque ad ruris Bethlemici innocentes delicias, quas eleganter pingit, invitat. Tandemque Montani errores, & deliria confutat. Ad *Algasiam*; solvit quæstiunculas de Evangelio, & de Apostolo; quas illa prænobilis de Oceani littore, atque vltimis Galliarum finibus, per Apodemium ideo Bethleem vsque longa navigatione delegatum, proposuerat. Ad *Azellam*, dum è portu Romano ipse solvit in Palæstinam, amarulenter contra obtrectatores & invidos. Ad *Lætam* Paulæ nurum, quomodo maternis illius curis educanda Paula ex Toxotio defuncto hæres vnica, & ab avia virginitati destinata. Immò rogans, vt Puellulam Bethleem mittat ad aviam & amitam, magistrum se & nutricium spondet. *Gestabo*, inquit, *humeris, balbutientia verba formabo, multò*

gloriosior Mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum, Babylonio periturum veneno: sed ancillam, & sponsam CHRISTI *erudiam regnis celestibus offerendam*. Ad *Demetriadem*, nobilitate, & divitijs primam in Orbe Romano, de servanda virginitate. Ad *Furiam* è Camillorum genere, florenti adhuc ætate viduam respondet, docetque fusè & pulchrè, quomodo vivere debeat, & viduitatis coronam illæso pudicitiæ nomine conservare. Ad *Fabiolam*, victimas, leges, ac vestes Sacerdotum doctè explicat, mysticè interpretatur. Ad *Salvinam*, viduam Nebridij ex Augustorum familia & aula regali; cuius propositum laudat non convolandi ad secundas nuptias: et vt geminæ prolis educationi sanctè incumbat, adhortatur. Ad *Theodosam*, quam mortuo marito amicissimo, eoque sanctissimo, consolatur. Ad *Principiam*, mittit Epitaphium Marcellæ; quam vocat omnium Sanctorum et propriè Romanæ Vrbis inclytum decus; vbi prima *Monachæ* vitam professa, vnde Origenistas

ABBATISS. MONTIS MARTYR.

expulerat, vnde et Hieroſolymam ſancta peregrinatione acceſſerat.

PRINCIP. GVISIAE

INTER eas verò illuſtres, nulla Hieronymo clarior *Euſtochio*, Paulæ filiâ virgine, et maternæ ſanctitatis æmula. Hanc non modò filiam et ſororem ſed ſignanter *Dominam* vocat, vtpotè Domini ſponſam. Mores illius formar ad ſanctimoniam, ſuos in Ezechielem Cõmentarios illi dedicat. Tandem cõſolatur ſuper morte Paulę matris; cuius Elogiũ pari eloquẽtia et affectu elaboratũ, claudit hocce Epitaphio quod ſepulchro incidit, et volumini ſubdidit.

Scipio quam genuit, Pauli fudere Parentes,
Gracchorũ ſoboles, Agamemnonis inclyta proles
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere Priores,
Euſtochi genitrix, Romani prima Senatus.
Pauperiem Chriſti, & Bethlehemitica rura ſecuta eſt.

In Fonte Speluncæ.

Aſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulchrum.
Hoſpitium Paulæ eſt, celeſtia regna tenentis.
Fratrem, Cognatos, Romã, patriamq; relinquẽs:
Divitias, ſobolem, Bethlehemiti conditur antro.
Hìc præſepe tuũ Chriſte, atque hìc myſtica Magi
Munera portantes, Hominique Deoque dedere.

HAEC summatim collecta ex Hieronymo, tuis, PRINCEPS RELIGIOSISSIMA, oculis subijcio; vt minimè mirum videatur quòd meas inter Selectas Epistolas, deberi tibi locum aliquem existimavi. Procul nunc à vestro monte pingui rore celesti, virtutibus coagulato, Sancto cruore Martyrum: Monialiumque in gemino, sub te antistite Parthenæo pietati insigni; sola Epistolarum communicatio supplet non ingratam olim conversationem: & *absentes*, ait idem Hieronymus, *facit inter se quodammodo præsentes*. ABBATISSÆ MONTIS VO MARTYR III

Te porrò conuenire idiomate *Romano*; decet factum me nuper Romanum. Decorumque matris Ecclesiæ Linguam non esse ignotam tibi, quæ hæreditariâ Avorum Principum fide Christiana, & pietate Catholica, vitam à te in claustro electam, & publicè per omnia sanctitatis genera exercitam, non alio condimento emollis, quàm divinarum præcipuè scientiarum, & non vnius idiomatis peritiâ haud vulgari. Id nempè faciebant Ro- IV

PRINCIP. GVISAE manæ illæ partim Matronæ, partim Virgines nobilissimæ iuxta & sanctissimæ, ad quas scribi iam prolixè, tam doctè, tam eruditè abs Hieronymo mirantur vniuersi. Id genio quoque Ordinis Benedictini, & congruum, & suetum docet vestra Gertrudis. Id demum persuasit ipsamet Opellula, huic Epistolio annexa.

V Meministi, Domina, Domini mei Sponsa, concinnatum olim à me *Contextum Euangelicum*; quo sacram IESV CHRISTI historiam vno quatuor Euangelistarum calamo describo. *Quatuor Euangeliorum librum vnum vocat Augustinus.* Tabellam hanc Lutetiâ discedens in tuis Cimmelijs, non nisi sacris, meritò habere voluisti. Quid enim gratius quàm illic, velut in speculo Sponsi vitam per quotidianas meditationes intueri, deosculari, imitari? Enim verò vt imagunculæ præterea pixidibus includuntur, rei amatæ carissima *μνημοσύνια*; ita compendiolum Syntaxis illius vitæ CHRISTI, paucis paginis concinnatum mitto; pectori altè, vt fa-

cis, insculpendum. Breuitati porrò hîc maximè studentem, iuvat ipsa *Latinitas*: quæ habet insuper nescio quid magis augustum, magis & sententiosum. Sic CHRISTO vivens, IESVM solum amans, eiusque semper quærens amplexus; facile tibi videbitur omne difficile, breuia putabis vniversa quæ longa sunt. Vno verbo; Mundo emortua, CHRISTO commortua & confixa, *esse incipies quod futura es*; anticipata scilicet in terris, per sanctitatem, æterna beatitudine. Manuductor sit igitur CHRISTVS ipse, qui & Sponsus, in hoc vitæ suæ Breviculo. ROMAE IDIB. DECEMBR. AN. MDCLX.

ABBATISSA MONTIS MARTYR.

REVEREN.

REVERENDISS. DOM.

PETRO ROMANO

ABBATI SVBLAQVENSI

Benedictino.

SPECVS B. BENIDICT SVBLA. 2. VI

CVMVLASTI me, REVERENDISSIME PATER, duplici beneficio, vtroque reverá pretij apud me minimè vulgaris. Optatum Extero, atque etiam ex voto Principis Guisiæ, ordinis itidem tui Montis Martyrum ad Lutetiam in Gallia Abbatissæ in paucis inclytæ, peregrino hospitium concessisti. Et quidem latini calami tui epistolâ omnibus elegantiæ dicam an benevolentiæ condimentis refertâ, & obsignatâ. Licuit igitur numine propitio, procurante optimo Mæcenate Antonio Barberino: nec non favente insigni humanitate tua, sacrum al-

terius à nostro Elia spelæum, quod pridem habebam in votis; prolixiùs venerari. Clausit me in anniuersariam decem dierum solitudinem, Magni Patris vestri Benedicti crypta: fœta miraculis, prægnans Sanctitate. Per mille & mille oscula subinde vacavit hærere sacerrimo antro, sed ita me Deus amet! longè plusquam Sybillino, Et planè accendebant animi fervorem, si non esset ipsa glacie frigidior, cruenta, per sanctiorem hebdomadam, CHRISTI Crucifixi mysteria. ABBATI SVBLAQ.

VII Tunc enimvero vltro oblitus ceterorum, quæ sunt hîc innumera, quæque fusiùs aliquando fortè dabitur recensere; totus obstupui, fateor, cum Gregorio Magno, ad hæc *abrupta montium, concava vallium, defossa terrarum*. Quantum Papę! miraculum identidem exclamabam! Adhuc penè Puerum, abiectis Torquatorum, Anyciorum, Boësiorum stemmatis, feram agere, aut numen. Aurum & gemmas, divitias non naturæ caducas & fallaces; sed gratiæ solidas & æternûm duratu-

ras, includi his montium viſceribus. Vnionem in hac ſcrupea & ſaxatili concha, non viuere niſi rore celi. Apem in hoc cerupeo alveari divinitùs mellificare. Terrenum homuntionem non veſci niſi Nectare, & Ambroſia. Solum, rudem, inermem: nudum toto triennio luctari in antro cum Principe tenebrarum. Adoleſcentulum per cruentatas ſuo ſanguine vrticas & vepres, ſerere lilia caſtiſſimæ Virginitatis. Iuvenem mundi exulem ſpontaneum, beatioris iam vitæ delitias toto hauſtu prælibare. Volũtarium ex præcepto Evangelij Eunuchum, vna ſorore poſtmodum conſorte, ſed & ipſa illibata Virgine Scolaſtica hîc dumeta inter aſpera, cauteſque ſteriliſſimas, innumeram ſexus vtriuſque ſobolem vbiquè terrarum proſeminare.

REVEREN-

VIII Nempè re & nomine Benedictus, & quidem omni benedictione [celi deſuper, abyſſi iacentis deorſum, vberum & vulvæ.] Novæ videlicet Legis, vocante CHRISTO, alter Abrahamus factus ex hocce ſpelæo [in Gentem

adeò magnam, vt & stellas celi, & maris arenas exæquet.] Quis enim vero non obstupescat ad tam insolita? E scrobe illa apud Iudæos Bethleemica, orta est toto orbe Christianitas. E tesqua ista Sublaquensi propagatus Ordo in Occidente monasticus. Vtrobique, servata nimirum quæ debet ἀναλογία [paruus fons creuit in fluvium, & in lucem, Solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundavit.] Ex hacce schola Benedictina, initio tam parua, tam obscura, tam nulla, quot quæso Docti, quot Sancti extitere; [qui ad iustitiam gentes omnes erudierunt, ideoque fulgent modò quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates?] O me igitur beatum, cui sacras cunas invisere, incolere, colere à celo, & à tua Reuerendissime Abbas, benignitate donatum fuit!

ABBATI SVBLAQ.

IX

NARRAT seculi litteratura lucinias ad Orphei sepulcrum nidificantes, suaviori quàm ceteras garritu aures demulcere. Ecce fato non prorsus absimili, sacerrimo Beati Patris Benedi-

cti spelæo, cunisque tanti Ordinis Benedictini fœcundissimis vale dicenti; versus vltrò funduntur in Epigrammate; si minùs ad vnguem elimati, saltem meæ gratitudinis & devotionis testes sinceri.

Sanctior has inter cautes spelunca dehiscit,
Quæ Benedicte tibi sit via certa Poli.
Felix qui fugiens Hominum, secliq; tumultus,
Hoc calle ad celum te duce carpit iter.

IN SACRO SPECV SVBLAQVENSI, POSTRID. MAGNAE DOMINIC. PASCHAT. AN. MDCLXI.

REVERENDISS. D.

IOANNI BONA

A MONTE REGALI,

Congreg. Reform. S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Abbati Generali.

TVA, DOMNE REVERENDISSIME, ad Celum Manuductio, viaque

ad DEVM compendiaria ita munus publicum evasit; vt illud invadere cuique priuato perindè licitum sit, vtile, ac gloriosum. Vsus illo iure passivo & communi asserui mihi Opuscula verè aurea: statimque, dum lego, exarsi in Auctoris venerationem simul & amorem. Qualis, inquam, novus iste Mercurius? Quantusq; Dux è fęce hac terrena & caduca, ituris ad celestia & æterna? Quàm pius, quàm probus, quàm prudens, quàm peritus, quã succinctus, quàm deniq; securus? Mosẽ initio credidi, DEI Populũ ex servitute Ægypti in Palestinæ lætissima educentẽ. Paullùm progressus, diu à me quæsitum comperi Senecam Christianum. Tandemque currenti ad libellorum metam, occurrit per omnia alter Bernardus, nihil fallor, nihil palpo, ABBAS OPTIME, quippe qui sanctissimi illius Patris proles genuina illum in suis, tuisque Cisterciensibus perfectissimè repræsentas. IOANI BONA

XI

ENIM VERO vt viarum Ducibus Dijs ac Tutoribus debebatur à peregrinis

expulerat, vnde et Hierosolymam sancta peregrinatione accesserat.

PRINCIP. GVISIAE

INTER eas verò illustres, nulla Hieronymo clarior *Eustochio*, Paulæ filiâ virgine, et maternæ sanctitatis æmula. Hanc non modò filiam et sororem sed signanter *Dominam* vocat, vtpotè Domini sponsam. Mores illius format ad sanctimoniam, suos in Ezechielem Cōmentarios illi dedicat. Tandem cōsolatur super morte Paulę matris; cuius Elogiū pari eloquētia et affectu elaboratū, claudit hocce Epitaphio quod sepulchro incidit, et volumini subdidit.

Scipio quam genuit, Pauli fudere Parentes,
Gracchorū soboles, Agamemnonis inclyta proles
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere Priores,
Eustochi genitrix, Romani prima Senatus.
Pauperiem Christi, & Bethlehemitica rura secuta est.

In Fonte Speluncæ.

Aspicis angustum præcisa rupe sepulchrum.
Hospitium Paulæ est, celestia regna tenentis.
Fratrem, Cognatos, Romā, patriamq; relinquēs:
Divitias, sobolem, Bethlehemiti conditur antro.
Hìc præsepe tuū Christe, atque hìc mystica Magi
Munera portantes, Hominique Deoque dedere.

HAEC summatim collecta ex Hieronymo, tuis, PRINCEPS RELIGIOSISSIMA, oculis subijcio; vt minimè mirum videatur quòd meas inter Selectas Epistolas, deberi tibi locum aliquem existimavi. Procul nunc à vestro monte pingui rore celesti, virtutibus coagulato, Sancto cruore Martyrum: Monialiumque in gemino, sub te antistite Parthenæo pietati insigni; sola Epistolarum communicatio supplet non ingratam olim conversationem: & *absentes*, ait idem Hieronymus, *facit inter se quodammodo præsentes*. ABBATISS. MONTIS V. MARTYR III

Te porrò conuenire idiomate *Romano*, decet factum me nuper Romanum. Decorumque matris Ecclesiæ Linguam non esse ignotam tibi, quæ hæreditariâ Avorum Principum fide Christiana, & pietate Catholica, vitam à te in claustro electam, & publicè per omnia sanctitatis genera exercitam, non alio condimento emollis, quàm divinarum præcipuè scientiarum, & non vnius idiomatis peritiâ haud vulgari. Id nempè faciebant Ro- IV

PRINCIP. GVISAE

manæ illæ partim Matronæ, partim Virgines nobilissimæ iuxta & sanctissimæ, ad quas scribi iam prolixè, tam doctè, tam eruditè abs Hieronymo mirantur vniversi. Id genio quoque Ordinis Benedictini, & congruum, & suetum docet vestra Gertrudis. Id demum persuasit ipsamet Opellula, huic Epistolio annexa.

V Meministi, Domina, Domini mei Sponsa, concinnatum olim à me *Contextum Euangelicum*; quo sacram IESV CHRISTI historiam vno quatuor Euangelistarum calamo describo. *Quatuor Euangeliorum librum vnum vocat Augustinus*. Tabellam hanc Lutetiâ discedens in tuis Cimmelijs, non nisi sacris, meritò habere voluisti. Quid enim gratius quàm illic, velut in speculo Sponsi vitam per quotidianas meditationes intueri, deosculari, imitari? Enim verò vt imagunculæ præterea pixidibus includuntur, rei amatæ carissima *μνημοσύνια*; ita compendiolum Syntaxis illius vitæ CHRISTI, paucis paginis concinnatum mitto; pectori altè, vt fa-

cis, insculpendum. Breuitati porrò hîc maximè studentem, iuvat ipsa *Latinitas*: quæ habet insuper nescio quid magis augustum, magis & sententiosum. Sic CHRISTO vivens, IESVM solum amans, eiusque semper quærens amplexus; facile tibi videbitur omne difficile, breuia putabis vniversa quæ longa sunt. Vno verbo; Mundo emortua, CHRISTO commortua & confixa, *esse incipies quod futura es*; anticipata scilicet in terris per sanctitatem, æterna beatitudine. Manuductor sit igitur CHRISTVS ipse, qui & Sponsus, in hoc vitæ suæ Breviculo. ROMAE IDIB. DECEMBR. AN. MDCLX.

ABBATISSA MONTIS MARTYR.

REVERENDISS. DOM.

PETRO ROMANO

ABBATI SVBLAQVENSI

Benedictino.

SPECVS B. BENEDICT SVBLAQ. VI

CVMVLASTI me, REVERENDISSIME PATER, duplici beneficio, vtroque reverá pretij apud me minimè vulgaris. Optatum Extero, atque etiam ex voto Principis Guiſiæ, ordinis itidem tui Montis Martyrum ad Lutetiam in Gallia Abbatiſſæ in paucjs inclytæ, peregrino hoſpitium conceſſiſti. Et quidem latini calami tui epiſtolâ omnibus elegantiæ dicam an benevolentiæ condimentis refertâ, & obſignatâ. Licuit igitur numine propitio, procurante optimo Mæcenate Antonio Barberino: nec non favente inſigni humanitate tua, ſacrum al-

terius à nostro Elia spelæum, quod pridem habebam in votis; prolixiùs venerari. Clausit me in anniuersariam decem dierum solitudinem, Magni Patris vestri Benedicti crypta: fœta miraculis, prægnans Sanctitate. Per mille & mille oscula subinde vacavit hærere sacerrimo antro, sed ita me Deus amet! longè plusquam Sybillino, Et planè accendebant animi fervorem, si non esset ipsa glacie frigidior, cruenta, per sanctiorem hebdomadam, Christi Crucifixi mysteria. ABBATI SVBLAQ.

VII Tunc enimvero vltro oblitus ceterorum, quæ sunt hîc innumera, quæque fusiùs aliquando fortè dabitur recensere; totus obstupui, fateor, cum Gregorio Magno, ad hæc *abrupta montium, concava vallium, defossa terrarum*. Quantum Papę! miraculum identidem exclamabam! Adhuc penè Puerum, abiectis Torquatorum, Anyciorum, Boësiorum stemmatis, feram agere, aut numen. Aurum & gemmas, divitias non naturæ caducas & fallaces; sed gratiæ solidas & æternûm duratu-

ras, includi his montium visceribus.
LEVEREN· Vnionem in hac scrupea & saxatili concha, non viuere nisi rore celi. Apem in hoc cerupeo alveari divinitùs mellificare. Terrenum homuntionem non vesci nisi Nectare, & Ambrosia. Solum, rudem, inermem: nudum toto triennio luctari in antro cum Principe tenebrarum. Adolescentulum per cruentatas suo sanguine vrticas & vepres, serere lilia castissimæ Virginitatis. Iuvenem mundi exulem spontaneum, beatioris iam vitæ delitias toto haustu prælibare. Volūtarium ex præcepto Evangelij Eunuchum, vna sorore postmodum consorte, sed & ipsa illibata Virgine Scolastica hîc dumeta inter aspera, cautesque sterilissimas, innumeram sexus vtriusque sobolem vbiquè terrarum proseminare.

VIII Nempè re & nomine Benedictus, & quidem omni benedictione [celi desuper, abyssi iacentis deorsum, vberum & vulvæ.] Novæ videlicet Legis, vocante CHRISTO, alter Abrahamus factus ex hocce spelæo [in Gentem

adeò magnam, vt & stellas celi, & maris arenas exæquet.] Quis enim vero non obstupescat ad tam insolita? E scrobe illa apud Iudæos Bethleemica, orta est toto orbe Christianitas. E tesqua ista Sublaquensi propagatus Ordo in Occidente monasticus. Vtrobique, servata nimirum quæ debet ἀναλογία [paruus fons creuit in fluvium, & in lucem, Solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundavit.] Ex hacce schola Benedictina, initio tam parua, tam obscura, tam nulla, quot quæso Docti, quot Sancti extitere; [qui ad iustitiam gentes omnes erudierunt, ideoque fulgent modò quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates?] O me igitur beatum, cui sacras cunas invisere, incolere, colere à celo, & à tua Reuerendissime Abbas, benignitate donatum fuit!

ABBATI SVBLAQ.

IX

NARRAT seculi litteratura lucinias ad Orphei sepulcrum nidificantes, suaviori quàm ceteras garritu aures demulcere. Ecce fato non prorsus absimili, sacerrimo Beati Patris Benedi-

REVEREN. ςti spelæo, tunisque tanti Ordinis Benedictini fœcundissimis vale dicenti, versus vltrò funduntur in Epigrammate; si minùs ad vnguem elimati, saltem meæ gratitudinis & devotionis testes sinceri.

Sanctior has inter cautes spelunca dehiscit,
Quæ Benedicte tibi fit via certa Poli.
Felix qui fugiens Hominum, secliq; tumultus,
Hoc calle ad celum te duce carpit iter.

IN SACRO SPECV SVBLAQVENSI, POSTRID. MAGNAE DOMINIC. PASCHAT. AN. MDCLXI.

REVERENDISS. D.

IOANNI BONA

A MONTE REGALI,

Congreg. Reform. S. Bernardi Ordinis Cistercienſis Abbati Generali.

PERFECTIONIS SVMMVLA X

TVA, DOMNE REVERENDISSIME, ad Celum Manuductio, viaque

ad DEVM compendiaria ita munus publicum evasit; vt illud invadere cuique priuato perindè licitum sit, vtile, ac gloriosum. Vsus illo iure passivo & communi asserui mihi Opuscula verè aurea: statimque, dum lego, exarsi in Auctoris venerationem simul & amorem. Qualis, inquam, novus iste Mercurius? Quantusq; Dux è fęce hac terrena & caduca, ituris ad celestia & æterna? Quàm pius, quàm probus, quàm prudens, quàm peritus, quā succinctus, quàm deniq; securus? Mosē initio credidi, DEI Populū ex servitute Ægypti in Palestinæ lætissima educentē. Paulùm progressus, diu à me quæsitum comperi Senecam Christianum. Tandemque currenti ad libellorum metam, occurrit per omnia alter Bernardus, nihil fallor, nihil palpo, ABBAS OPTIME, quippe qui sanctissimi illius Patris proles genuina illum in suis, tuisque Cistercienfibus perfectissimè repræsentas. IOANI BONA

XI ENIM VERO vt viarum Ducibus Dijs ac Tutoribus debebatur à peregrinis

CLARISS. non tam donativum quàm votivum: ita ego Iunioris Tobiæ Sanctiori imitamento, tibi vero scilicet & fido nostri ad perfectiorem itineris Raphaëli, hāc Mysticæ *Perfectionis summam*, maximè pro Asceticæ vitę Cultoribus in vicem honorarij à me oblatam æqui bonique consules. Affectum non dedignabere, quia vel ipso nomine bonus es. Materia verò ipsa, ipseque tantillus labor non potest esse ingratus; quia ibi propemodum incipiens, vbi desinis, tuæ nimirum manuductionis aut appendix, aut compendij fusior explicatio poterit existimari. IN VRBE KALEN. OCTOB. AN. MDCLX.



RE-

TOSIO

REVERENDISS. PATRI D. CLEMENTI TOSIO ABBATI SILVESTRINO

& Indicis Consultori.

EGIT sanè mecum perhumaniter Reverendissimus Capisuccus Sacri Palatij Magister, Vir omni literatura exornatus, dum nostras à te, PATER REVERENDISSIME, Lucubrationes voluit recognosci. Facis id tu verè ea eruditione, quam in te pridem suspicit Roma: eoque affectu quo maiorem, vel conceptis votis desiderare nō queo. Typographiam demum suasu tuo experimur in selectis illis Epistolis, quibus sic prolixè suffragaris; et quasi in præludium *Contextus Scientiæ Divinæ*, à te etiam non debitis Autori encomijs approbati. Sed vt sunt isthic Operæ, SCRIPTA ET ORAT. FVNEBR

REVEREN.

tantus profectò nobis labor incumbit quantus olim Herculi in Regio Augiæ Equili permundando. Connitemur tamen, quandoquidem ita cordatis videtur, quidquid difficultatum est devorare. Sed et tuum, MI T SI, reditum vehementer exopto, expectoque impensiùs; vt quidquid reliqui est, censoriâ tuâ virgulâ emendetur. Interim mitto ad te quod in discessu promisi Elogium funebre Eminentissimi Cardinalis Mazarini: Illud pompæ funerali adtexuit Abbas Elpidius Benedictus; quam struxit defuncto Patrono, suæque, tum gratitudini, tum castigatæ Eruditioni monumentum à cũctis supra quam dici potest existimatum, de nostra opella judicabis vt placuerit. Tulit certè theatri suffragium, fidemque libero, dum illam ad te mitto. Vale. IN VRBE KAL. IVL. AN. MDCLI.

VII

IO PAVLO OLIVA.

REVERENDISS. PATRI
IOANNI PAVLO
OLIVA,
E SOCIETATE IESV
Concionatori Apostolico.

ANNVS REGIVS. XII

QVAM dignè tractetur à te DEI verbum, OPTIME CONCIONATOR; testis est Roma; vbi totius olim Eloquentiæ, vt modò fidei ac Religionis Christianæ, sedes primaria. Immò etiam ipsi Hortensio, ipsique & Ciceroni palmam te præripere, à tot laudatoribus tuis mihi facilè fuit persuaderi. Pontificius Ecclesiastes cunctis illis è profano pegmate Oratoribus, toto nimirùm celò antecellis. Mysteria versas non regni, sed DEI, cuius agis

Legatum. Longè augustiora ascendis pulpita, quàm rostra. Nec coram Plebe, aut in Senatu agis de rebus caducis: Sed Genti sanctæ, Regali Sacerdotio, Populo acquisitionis: ipsi, ipsi in terris CHRISTI Vicario, purpuratisque Patribus vrges animarum salutem, premis flagitia, virtutem insculpis, inspiras æternitatem.

XIII Id verò à te præstari, REVERENDISSIME PATER, *libertate* prorsus Evangelica eò magis gratulor, lætorque, quòd & id licere in Aula Regis mei Christianissimi, simili, quamvis indignus, officio per multos defungens annos, existimavi fermè præcipuum. Nam nostrum licet roris in morem fluere debeat eloquium, nusquam tamen est, quale debet, nisi sit vox tonitrui in rota. Sacris propterea Oratoribus pollicetur Numen cor adamantinum, frontem ferream, verba faculas & incendia. Estque in ceteris character propriè Apostolicus, loqui DEI testimonia in conspectu Regum & non confundi. Tanto porro est nostrorum Prin-

cipum, vel Ecclesię hoc ipso Primogenitorum clementia magis adhuc pietas; vt è religione sua, & majestate animum putem ab omni ævo faciles aures, animosque dociles præbere verbum illud vitæ disseminantibus. IO. PAVLO OLIVA

Iudicabis ipse ROMANE CHRYSOSTOME, si libum sumis quod mittimus Annum Regium. Conciones sunt illæ quas habui coram nostris Principibus, & quidem tempore per Civiles tumultus difficillimo. Ordior verò ab Epistola Regi nuncupatoria; quia & ipsa, si approbas, Christiani Oratoris Idea poterit videri; quam tu vt facere & docere perseuerans diu sustineas, DEVM precor, qni dat verbum Euangelizantibus virtute multa. IN VRBE. IV. KAL. OCTOBR. AN. MDCLX. XVI

R. PATRI

THEOPHILO RAYNAVDO

THEOLOGO SOCIET. IESV.

Emerito.

XV
FOEDVS
PARTHEN.
CARMEL.

VENEROR dudum, OPTIME THEOPHILE, in ea Societate cui præclarum nomen tuum consecrasti, dotes eximias; quas solas non novit invidia, quia cœca. Id verò summum in reliquis mihi semper visum fuit, quod apud vos pondus Sanctuarij, ex Legis præscripto: Lydius lapis, opum Metallicarum probator; tandemque ἄκαινα illa virgula, dispescendis Ægyptiorum agris celitus delapsa. Sive enim Theologiæ placita pendi debent, ex fidei trutina; ea vobis semper in manu, ad iustum examen temperata. Sive sincera virtus à mendaci discernenda est, frontem nostris, & intima pietatis illius, quæ procul ab om-

ni nævo Chriſtianos beat. Si quid demùm in omni eruditione controuertitur, magnum vbique eſt à veſtris ſententijs & autoritate præiudicium. RAYNAVD.

QVAMOBREM vt Româ ſcriptum ad me nuper eſt, meditari te ſerium examen *Epomidis* illius, quæ Carmelitani Collegij, Virgineique fœderis σκῆμμα & ςέμμα; libens mitto, mihi ad eam materiem iam ante viginti annos dictata. Dicam verò candida, hoc eſt Carmelitana fide, quod ſentio. In eiuſmodi, alijſque gravioribus parum omninò ſapiunt calidæ, quas præſens ętas videt & luget, etiam inter domeſticos fidei velitationes. Nec ſatis mirari poſſum Curatores publicæ rei, ad hæc portenta obmuteſcere. In crimine Majeſtatis læſæ, contraque hoſtes publicos, ait magnus Afer, *Omnis homo miles eſt*. Vbi divina quatiuntur, convelluntur, ſubvertuntur, diſſimulant, ſilent, languent vniverſi. Ipſos certè ſeminantes inter fratres diſcordiam, iam ſideratos quis non credat? dum ſibi Mæuij ſunt & Suffeni, dum ſten-

R. PATRI

toreâ audaciâ claſſicum canunt, iniquum Martem typho inflati, æſtro-vexerciti accendunt, traditos videas in reprobum ſenſum, iam adeò, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Quid enim eſt aliud ſapere vltra ſobrietatem quàm revera deſipere? Iſraëlitarum pugnæ, Ægyptiorum Victoriæ ſunt: noſtræ tragœdiæ, hæreticis dant comœdias. Quaſi verò ſatis amplum eruditis calamis ſpatium non reliquerit Eccleſia, vel in rebus Religionis enucleandis firmandis, ornandis: vel in ſeculi litteratura & Nationũ diſciplinis ad cuiuſque capitis libidinem verſandis, ac reuerſandis. Hîc namque pugna ſemper innocens, triumphus incruentus, Contra numquam citra grande periculum, aut amoventur Religionis termini, aut pietatis ſepes, ſine Colubri morſu diſſipantur. Nec dolendum minùs proba de cetero ingenia, per inaniſſimos labores fatiſcere. Quid enim precor te; MI PATER, ex tot vigilijs, tantiſque ſudoribus

aliud fermè reportant *σκιαμάχοι* illi, & nimis sæpè *θεομάχοι*, præter futilem gloriolam, graueque scandalum tum plebis Catholicæ, tum nominis Christiani? RAYNAVD. XVII

Non retracto acutum illud Tertulliani. *Falsa nunc sint quæ tuemur, & meritò præsumptiones, attamen necessariæ: inepta, attamen vtilia; si quidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt. Itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi, quæ expedit vera præsumi. Nullo titulo damnare licet omninò quæ prosunt.* Dicantur hæc ex abundanti. Habet certè serium quid & augustum, quin etiam *arcanum* ac mysticum, Religio omnis & Eruditio. Vtriusque porrò violatur integritas, certè delibatur semper petulca indagine, profanaque linguaculorum temeritate. Reverenter haberi vult, & debet Dea illa, quæ vix adyta sua pandit, quàm similibus tui. Sive enim Naturalem Theologiam apparas, sive morum disciplinam exornas, sive ejusmodi Tractatus plures elucubras; id facis sẽper *κατὰ τὸ πρέπον καὶ σεμνότατον*

do ſtudium : nec improbo quòd putas aptandis Concionibus, *Artem Lullij* non prorſus inutilem. Atque vt Capucini humilis auſteritas non cancellat prima illuſtris proſapiæ, nobiliſque ingenij lineamenta; conſulere non es dedignatus, ſed pari vrbanitate & modeſtia, meam ea ſuper ſententiam. Non diſſimulavi, MI PATER, vt apertæ ſunt & candidæ Muſarum januæ, animi mei ſenſus, quos peperit non otioſa meditatio, fermèque quadragenaria in officio & munere Concionatoris experientia.

DOMINICO DE LVCCA

XIX Quia verò meam de Raimundo opinionem pręmittit Artis illius vtriuſque commentarijs, quę noſtra secũda Rhethorica eſt, noſter *Contextus ſcientiæ Humanæ*; commodum duxj, tuiſque votis maximè congruum meum ad te mittere de *Eloquentia Chriſtiana* Rudimentum.

XX POTERAT certè hæc qualiſcumque Idea Concionatoris ſuo tibi nativo ſtylo exhiberi, qui Gallicum noſtrum idioma peræquè calles ac tuum genti-

REVEREN. lem Italicum. Placuit nihilominus,& ita rogarunt plures è noſtris præſertim Carmelitis, ſpecimen iſtud latinè efferre; vt à pluribus poſſet legi, examinari, fortè & non improbari. Neque plura præfatus, *rem ipſam aggredior.* IN VRBE KALEND. FEBR. AN. MDCLXI.

REVERENDISS. PATRI
AVGVSTINO GALLIOIO
Clericorum Regularium
Præpoſito Generali.

ALEXAND. SAVLIVS RECEPI à te, *Reverendiſsime Pater*, vitam Saulij tui, munus ſanè præſtantiſſimum ſimul & iucundiſſimum. Legi nimirum cum magna animi mei voluptate Sanctiſſimi Epiſcopi geſta, quibus erectum à te eſt monumentum ære perennius. Servum DEI vocas, egregio ſcilicet Elogio, & magnis viris proprio. Nam & alterum

Ducem Israelitarum commēdat Scriptura, vt solet brevi epigrapho; *post hæc*, tot ac tanta priùs scilicet recensita, *mortuus est Iosue seruus Domini*. Delibatâ parumper insigni prosapiâ, puerum describis ingeniosum, sortitumq; animam bonam. Mox studijs, vocatione inter Clericos Regulares, dein Concionibus, Magisterijs, Generali suæ Congregationis Præfecturâ: tandemque Aleriensis, ac Tionensis Ecclesiæ infulis auctum & clarum. Vno verbo, vestrę Italiæ Salesiū, Saulium (& erant ambo *συγχρόνοι*) sic aptè, sic concinnè & eleganter tuus depingit Latinus calamus; vt vita illius, placet enim vestratem Ambrosium imitari, *nobis norma vivendi deinceps existat*. Perbeatè verò tecum agi existimo, MI AVGVSTINE, qui Patris vitam tali cum facundia adornans, illiusque gesta verè heroica imitatus; & facienda scribis, & scribenda facis. Vicit ille famam virtutibus suis, ne subeat illa apud posteros, atque vt passim inclarescat, facit egregia lucubratio tua. Consultè GALLIOL

Legatum. Longè augustiora ascendis pulpita, quàm rostra. Nec coram Plebe, aut in Senatu agis de rebus caducis: Sed Genti sanctæ, Regali Sacerdotio, Populo acquisitionis: ipsi, ipsi in terris CHRISTI Vicario, purpuratisque Patribus vrges animarum salutem, premis flagitia, virtutem insculpis, inspiras æternitatem.

XIII ID verò à te præstari, REVERENDISSIME PATER, *libertate* prorsus Evangelica eò magis gratulor, lætorque, quòd & id licere in Aula Regis mei Christianissimi, simili, quamvis indignus, officio per multos defungens annos, existimavi fermè præcipuum. Nam nostrum licet roris in morem fluere debeat eloquium, nusquam tamen est, quale debet, nisi sit vox tonitrui in rota. Sacris propterea Oratoribus pollicetur Numen cor adamantinum, frontem ferream, verba facultas & incendia. Estque in ceteris character propriè Apostolicus, loqui DEI testimonia in conspectu Regum & uon confundi. Tanto porro est nostrorum Prin-

cipum, vel Ecclesię hoc ipso Primogenitorum clementia magis adhuc pietas; vt è religione sua, & majestate putem ab omni ævo faciles aures, animosque dociles præbere verbum illud vitæ disseminantibus. IO. PAVLO OLIVA

XVI

Iudicabis ipse ROMANE CHRYSOSTOME, si libum sumis quod mittimus Annum Regium. Conciones sunt illæ quas habui coram nostris Principibus, & quidem tempore per Civiles tumultus difficillimo. Ordior verò ab Epistola Regi nuncupatoria; quia & ipsa, si approbas, Christiani Oratoris Idea poterit videri; quam tu vt facere & docere perseuerans diu sustineas, DEVM precor, qni dat verbum Euangelizantibus virtute multa. IN VRBE. IV. KAL. OCTOBR. AN. MDCLX.

R. PATRI

THEOPHILO RAYNAVDO
THEOLOGO SOCIET. IESV.
Emerito.

XV
FOEDVS PARTHEN. CARMEL.

VENEROR dudum, OPTIME THEOPHILE, in ea Societate cui præclarum nomen tuum consecrasti, dotes eximias; quas solas non novit invidia, quia cœca. Id verò summum in reliquis mihi semper visum fuit, quod apud vos pondus Sanctuarij, ex Legis præscripto: Lydius lapis, opum Metallicarum probator; tandemque ἄκαινα illa virgula, dispescendis Ægyptiorum agris celitus delapsa. Sive enim Theologiæ placita pendi debent, ex fidei trutina; ea vobis semper in manu, ad iustum examen temperata. Sive sincera virtus à mendaci discernenda est, frontem nostris, & intima pietatis illius, quæ procul ab om-

ni nævo Christianos beat. Si quid demùm in omni eruditione controuertitur, magnum vbique est à vestris sententijs & autoritate præiudicium. RAYNAVD.

QVAMOBREM vt Româ scriptum ad me nuper est, meditari te serium examen *Epomidis* illius, quæ Carmelitani Collegij, Virgineique fœderis σκῆμα & στέμμα; libens mitto, mihi ad eam materiem iam ante viginti annos dictata. Dicam verò candida, hoc est Carmelitana fide, quod sentio. In eiusmodi, alijsque gravioribus parum omninò sapiunt calidæ, quas præsens ętas videt & luget, etiam inter domesticos fidei velitationes. Nec satis mirari possum Curatores publicæ rei, ad hæc portenta obmutescere. In crimine Majestatis læsæ. contraque hostes publicos, ait magnus Afer, *Omnis homo miles est*. Vbi divina quatiuntur, convelluntur, subvertuntur, dissimulant, silent, languent vniversi. Ipsos certè seminantes inter fratres discordiam, iam sideratos quis non credat? dum sibi Mæuij sunt & Suffeni, dum sten-

toreâ audaciâ classicum canunt, iniquum Martem typho inflati, æstro-venerciti accendunt, traditos videas in reprobum sensum, iam adeò, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Quid enim est aliud sapere vltra sobrietatem quàm revera desipere? Israëlitarum pugnæ, Ægyptiorum Victoriæ sunt: nostræ tragœdiæ, hæreticis dant comœdias. Quasi verò satis amplum eruditis calamis spatium non reliquerit Ecclesia, vel in rebus Religionis enucleandis firmandis, ornandis: vel in seculi litteratura & Nationũ disciplinis ad cuiusque capitis libidinem versandis, ac reuersandis: Hîc namque pugna semper innocens, triumphus incruentus, Contra numquam citra grande periculum, aut amoventur Religionis termini, aut pietatis sepes, sine Colubri morsu dissipantur. Nec dolendum minùs proba de cetero ingenia, per inanissimos labores fatiscere. Quid enim precor te; MI PATER, ex tot vigilijs, tantisque sudoribus

alind fermè reportant *σκιαμάχοι* illi, & nimis sæpè *θεομάχοι*, præter futilem gloriolam, graueque scandalum tum plebis Catholicæ, tum nominis Christiani? RAYNAVD.

XVII

Non retracto acutum illud Tertulliani. *Falsa nunc sint quæ tuemur, & meritò præsumptiones, attamen necessariæ: inepta, attamen vtilia; si quidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt. Itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi, quæ expedit vera præsumi. Nullo titulo damnare licet omninò quæ prosunt.* Dicantur hæc ex abundanti. Habet certè serium quid & augustum, quin etiam *arcanum* ac mysticum, Religio omnis & Eruditio. Vtriusque porrò violatur integritas, certè delibatur semper petulca indagine, profanaque linguaculorum temeritate. Reverenter haberi vult, & debet Dea illa, quæ vix adyta sua pandit, quàm similibus tui. Sive enim Naturalem Theologiam apparas, sive morum disciplinam exornas, sive ejusmodi Tractatus plures elucubras; id facis sẽper *κατὰ τὸ πρέπον καὶ σεμνότατον*

do ſtudium : nec improbo quòd putas aptandis Concionibus, *Artem Lullij* non prorſus inutilem. Atque vt Capucini humilis auſteritas non cancellat prima illuſtris proſapiæ, nobiliſque ingenij lineamenta; conſulere non es dedignatus, ſed pari vrbanitate & modeſtia, meam ea ſuper ſententiam. Non diſſimulavi, MI PATER, vt apertæ ſunt & candidæ Muſarum januæ, animi mei ſenſus, quos peperit non otioſa meditatio, fermèque quadragenaria in officio & munere Concionatoris experientia.

DOMINICO DE LVCCA

Quia verò meam de Raimundo opinionem pręmittit Artis illius vtriuſque commentarijs, quę noſtra ſecũda Rhethorica eſt, noſter *Contextus ſcientiæ Humanæ*; commodum duxj, tuiſque votis maximè congruum meum ad te mittere de *Eloquentia Chriſtiana* Rudimentum. XIX


POTERAT certè hæc qualiſcumque Idea Concionatoris ſuo tibi nativo ſtylo exhiberi, qui Gallicum noſtrum idioma peræquè calles ac tuum genti- XX

Ducem Iſraelitarum commēdat Scriptura, vt ſolet brevi epigrapho; *poſt hæc*, tot ac tanta priùs ſcilicet recenſita, *mortuus eſt Ioſue ſeruus Domini*. Delibatâ parumper inſigni proſapiâ, puerum deſcribis ingenioſum, ſortitumq; animam bonam. Mox ſtudijs, vocatione inter Clericos Regulares, dein Concionibus, Magiſterijs, Generali ſuæ Congregationis Præfecturâ: tandemque Alerienſis, ac Tionenſis Eccleſiæ infulis auctum & clarum. Vno verbo, veſtrę Italiæ Saleſiū, Saulium (& erant ambo συγχρόνοι) ſic aptè, ſic concinnè & eleganter tuus depingit Latinus calamus; vt vita illius, placet enim veſtratem Ambroſium imitari, *nobis norma vivendi deinceps exiſtat*. Perbeatè verò tecum agi exiſtimo, MI AVGVSTINE, qui Patris vitam tali cum facundia adornans, illiuſque geſta verè heroica imitatus; & facienda ſcribis, & ſcribenda facis. Vicit ille famam virtutibus ſuis, ne ſubeat illa apud poſteros, atque vt paſſim inclareſcat, facit egregia lucubratio tua. Conſultè GALLIOL

REVEREN· autem vt morem geras Ecclesiæ decretis, abstines ab ijs commemorandis quæ faciunt admirationem. Enimverò *miracula non faciunt Sanctos, sed Sancti miracula.*

Vitæ verò genus vno fusum tenore, perque omnes omninò virtutes conspicuum, sic proponis; vt tabella sit in nostris omnium moribus summo studio, totaque animi contentione transcribenda. Ita opto, ita voveo: & soluta, quam debeo pro ejusmodi donativo, gratiarum actione; illius me venerabilis servi DEI precibus per vestras etiam atque etiam commendo.

IN VRBE KALEND. AVGVSTI
AN. MDCLXI.



REVERENDISSIMO DEFINITORIO

Ceterisque Patribus universis, in publicis Carmelitarum Comitijs Romæ congregatis.

ANNO MDCXXV.

P. IOANNIS SORETHII EXPOSITIO IN REGVLAM CARMELIT. I

ECQVIS, REVERENDI ADMODVM PATRES, ex vltimo Galliarum confinio Romam accedat; in hoc vestro Religiosissimo Cætu, siue Superioris Generalis officio, siue iure meritorum locum ac vocem petiturus; meliùs profectò intelligetis ex disertissimi autoritate Trithemij Abbatis Benedictini, & notæ inter Autores illustrioris; quàm nostra, vel cujusquam Carmelitæ domestica, ideoque suspiciosa relatione. *Vir est* (inquit ille Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis) *In divi-*

nis Scripturis doctissimus, & secularis Philosophiæ non ignarus: ingenio subtilis, eloquio dulcis & clarus: vita & conversatione devotus, & singulariter Religiosus & sanctus: Carmelitici Ordinis decus, gloria, splendor, & Reformator; qualem nostra rarò viderunt secula, rariùs cernent ventura. Totus DEO *deditus, totus lectioni & orationi intentus; contemptor mundi, Angelicæ puritatis imitator; virtutum custos, vitiorum hostis acerrimus.* At quonam titulo, quo nomine insignitur, hæc virtutum omnium in aliquem Hominem vnum transfusa combinatio? Non molesto, ingrato-ve silentio Religiosi Consessus vota & expectationem vltra suspendemus. Procul ambages! *Vester* est, REVERENDI PATRES, vnaque simul *Noster B. Ioannes Soretius* totius quondam Carmelitarum Ordinis sanctissimus Generalis. *Nostrum* certè, nemo invidebit, qui cognoscet sacros eius Cineres, apud nos Andegavi, tametsi citra debitum honorem, reverenter tamen asservari. Sed *Vester* est, quia & majorem deinceps venerationem, & dignio-

REVERENDISS.

rem

rem cultum à ſuprema Pontificis autoritate vobis exorantibus, paterno jure requirit. *Noſter* eſt, ſi juxta Patrum noſtrorum è Belgio beneficentiam noſtro ſtudio, conatu, labore, impenſis ex ſitu & tenebris, in quibus longum tempus delituit; jam qualicumque ſplendore, & vitali propè ſpiritu reviviſcens quærit Solem publicum & apertum. Videre vult ac videri, audire ſimul & audiri; ac ſi veſtro favore Beatitatem conſequatur, vt *veſter* exaudiri; immò etiam exaudire. *Noſter eſt*, quando vt ne inglorio cultu ac nimis neglecto oculos veſtros ſubiret; *noſtræ* hujus, immò *veſtræ Rhedonenſis* Familiæ Alumno penè adhuc in primoribus ſtudijs verſanti, paucos abhinc dies id muneris injunximus. Vt nimirum tanti Patris hæreditarium Opus legeret, examinaret: mendis, quibus Manuſcriptum ſcatebat innumeris repurgaret, diſtingueret in capita, notiſque ad marginem neceſſarijs breviter illuſtraret. Et pro auctuario (materiâ, ſicut & in toto Opere, penitus intactâ

DEFINIT. CARMEL.

R. PATRI

toreâ audaciâ claſſicum canunt, iniquum Martem typho inflati, æſtro-vecperciti accendunt, traditos videas in reprobum ſenſum, iam adeò, ἐματαιόθησαν ἐν τοῦς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Quid enim eſt aliud ſapere vltra ſobrietatem quàm revera deſipere? Iſraëlitarum pugnæ, Ægyptiorum Victoriæ ſunt: noſtræ tragœdiæ, hæreticis dant comœdias. Quaſi verò ſatis amplum eruditis calamis ſpatium non reliquerit Eccleſia, vel in rebus Religionis enucleandis firmandis, ornandis: vel in ſeculi litteratura & Nationũ diſciplinis ad cuiuſque capitis libidinem verſandis, ac reuerſandis. Hîc namque pugna ſemper innocens, triumphus incruentus, Contra numquam citra grande periculum, aut amoventur Religionis termini, aut pietatis ſepes, ſine Colubri morſu diſſipantur. Nec dolendum minùs proba de cetero ingenia, per inaniſſimos labores fatiſcere. Quid enim precor te; Mi Pater, ex tot vigilijs, tantiſque ſudoribus

aliud fermè reportant σκιαμάχοι illi,
& nimis ſæpè θεομάχοι, præter futi- RAYNAVD.
lem gloriolam, graueque ſcandalum
tum plebis Catholicæ, tum nominis
Chriſtiani? XVII

Non retracto acutum illud Tertul-
liani. *Falſa nunc ſint quæ tuemur, & me-
ritò præſumptiones, attamen neceſſariæ: ine-
pta, attamen vtilia; ſi quidem meliores fieri
coguntur, qui eis credunt. Itaque non ex-
pedit falſa dici, nec inepta haberi, quæ expe-
dit vera præſumi. Nullo titulo damnare licet
omninò quæ proſunt.* Dicantur hæc ex
abundanti. Habet certè ſerium quid &
auguſtum, quin etiam *arcanum* ac my-
ſticum, Religio omnis & Eruditio.
Vtriuſque porrò violatur integritas,
certè delibatur ſemper petulca inda-
gine, profanaque linguaculorum te-
meritate. Reverenter haberi vult, &
debet Dea illa, quæ vix adyta ſua pan-
dit, quàm ſimilibus tui. Sive enim
Naturalem Theologiam apparas, ſive
morum diſciplinam exornas, ſive ejuſ-
modi Tractatus plures elucubras; id
facis sẽper κατὰ τὸ πρέπον καὶ σεμνότατον

do studium : nec improbo quòd putas aptandis Concionibus, *Artem Lullij* non prorsus inutilem. Atque vt Capucini humilis austeritas non cancellat prima illustris prosapiæ, nobilisque ingenij lineamenta; consulere non es dedignatus, sed pari vrbanitate & modestia, meam ea super sententiam. Non dissimulavi, MI PATER, vt apertæ sunt & candidæ Musarum januæ, animi mei sensus, quos peperit non otiosa meditatio, fermèque quadragenaria in officio & munere Concionatoris experientia.

DOMINICO DE LVCCA

XIX Quia verò meam de Raimundo opinionem prẹmittit Artis illius vtriusque commentarijs, quẹ nostra secũda Rhethorica est, noster *Contextus scientiæ Humanæ*; commodum duxj, tuisque votis maximè congruum meum ad te mittere de *Eloquentia Christiana* Rudimentum.


XX POTERAT certè hæc qualiscumque Idea Concionatoris suo tibi nativo stylo exhiberi, qui Gallicum nostrum idioma peræquè calles ac tuum genti-

Ducem Israelitarum commẽdat Scriptura, vt solet brevi epigrapho; *post hæc*, tot ac tanta priùs scilicet recensita, *mortuus est Iosue seruus Domini*. Delibatâ parumper insigni prosapiâ, puerum describis ingeniosum, sortitumq; animam bonam. Mox studijs, vocatione inter Clericos Regulares, dein Concionibus, Magisterijs, Generali suæ Congregationis Præfecturâ: tandemque Aleriensis, ac Tionensis Ecclesiæ infulis auctum & clarum. Vno verbo, vestrę Italiæ Salesiũ, Saulium (& erant ambo συγχρόνοι) sic aptè, sic concinnè & eleganter tuus depingit Latinus calamus; vt vita illius, placet enim vestratem Ambrosium imitari, *nobis norma vivendi deinceps existat*. Perbeatè verò tecum agi existimo, MI AVGVSTINE, qui Patris vitam tali cum facundia adornans, illiusque gesta verè heroica imitatus; & facienda scribis, & scribenda facis. Vicit ille famam virtutibus suis, ne subeat illa apud posteros, atque vt passim inclarescat, facit egregia lucubratio tua. Consultè GALLIOL

REVEREN· autem vt morem geras Ecclesiæ decretis, abstines ab ijs commemorandis quæ faciunt admirationem. Enimverò *miracula non faciunt Sanctos, sed Sancti miracula*.

Vitæ verò genus vno fusum tenore, perque omnes omninò virtutes conspicuum, sic proponis; vt tabella sit in nostris omnium moribus summo studio, totaque animi contentione transcribenda. Ita opto, ita voveo: & soluta, quam debeo pro ejusmodi donativo, gratiarum actione, illius me venerabilis servi DEI precibus per vestras etiam atque etiam commendo.

IN VREE KALEND. AVGVSTI AN. MDCLXI.



REVERENDISSIMO DEFINITORIO

Ceterisque Patribus universis, in publicis Carmelitarum Comitijs Romæ congregatis.

ANNO MDCXXV.

P. IOANNIS SORETHII EXPOSITIO IN REGVLAM CARMELIT. I

ECQVIS, REVERENDI ADMODVM PATRES, ex vltimo Galliarum confinio Romam accedat; in hoc vestro Religiosissimo Cætu, sive Superioris Generalis officio, sive jure meritorum locum ac vocem petiturus; meliùs profectò intelligetis ex disertissimi autoritate Trithemij Abbatis Benedictini, & notæ inter Autores illustrioris; quàm nostra, vel cujusquam Carmelitæ domestica, ideoque suspiciosa relatione. *Vir est* (inquit ille Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis) *In divi-*

rem cultum à ſuprema Pontificis autoritate vobis exorantibus, paterno jure requirit. *Noſter* eſt, ſi juxta Patrum noſtrorum è Belgio beneficentiam noſtro ſtudio, conatu, labore, impenſis ex ſitu & tenebris, in quibus longum tempus delituit; jam qualicumque ſplendore, & vitali propè ſpiritu reviviſcens quærit Solem publicum & apertum. Videre vult ac videri, audire ſimul & audiri; ac ſi veſtro favore Beatitatem conſequatur, vt *veſter* exaudiri; immò etiam exaudire. *Noſter eſt*, quando vt ne inglorio cultu ac nimis neglecto oculos veſtros ſubiret; *noſtræ* hujus, immò *veſtræ Rhedonenſis* Familiæ Alumno penè adhuc in primoribus ſtudijs verſanti, paucos abhinc dies id muneris injunximus. Vt nimirum tanti Patris hæreditarium Opus legeret, examinaret: mendis, quibus Manuſcriptum ſcatebat innumeris repurgaret, diſtingueret in capita, notiſque ad marginem neceſſarijs breviter illuſtraret. Et pro auctuario (materiâ, ſicut & in toto Opere, penitus intactâ

DEFINIT. CARMEL.

& illibatâ) vitam Autoris faciliori tantùm stylo, forma ac methodo in Ordinis totius vtilitatem adornaret. Verùm vel hoc ipso nomine *vestrum* esse non obscurè intelligent ij, qui Superioribus Inferiores, Parentibus Filios, Reverendissimo Patri Generali, reliquisque Ordinis Moderatoribus; Rhedonensis Carmeli Professores se, suaque omnia & debere, & velle intelligent.

II Vos igitur magni Patres, magni Ordinis Rectores, Moderatoresque sapientissimi; quos Sapiens ille Romanus vero non minùs quàm illustri elogio si velliet honestare, pronunciaret quod vobis hodiè veritatis ore palàm edicimus. *Omnium somnos, vestra vigilantia defendit: & omnium otium, vester labor: omnium delicias, vestra industria; omnium vacationem, vestra occupatio.* Vos, inquam, impræsentia.

Locum date sacra ferenti.

Beatum Generalem nostrum doctrinâ magnum, virtute majorem, felicitate maximum; in Augustissimo vestro

Conſeſſu, toto animi ſinu admittite. Admitti à vobis parum eſt, audientiam requirit. Nempe ſecundum Regulæ præceptionem, de *Cuſtodia Ordinis, necnon ſalute animarum* in Generali Capitulo tractaturis; pauca, ſed hoc præſertim ævo maximè neceſſaria monita inſinuabit. DEFINIT. CARMEL.

III Dicet vos eſſe Ordini Carmelitarum conſtitutos à DEO Medicos, quibus proinde incumbit ab officio non ſolùm morbis ex ſeculi contagione adnaſcentibus mederi: verùmetiam, quod facitis ſingulari ſtudio, valetudinem æternum ſi poſſet, duraturam, adeòque totius corporis pulchritudinem, & decorem procurare. Addet Æſculapius ille noſter, non aliud eſſe præſentius venenum, quod foveat in membris peſtilentiam, quàm invidioſa externis & ridicula: nobis verò putida & ad languorem, tepiditatemque inclinans, quæ paulatim ſeſe latenter inſinuat, Mitigatorum non benè intellecta appellatio. Quando videlicet moderatis *ſolummodò* juſtiſſimis de

REVER. cauſis, quæ erant in exteriori vita auſteritatibus; vigere ſemper debet inter nos, & idem omninò remanere vitæ cultus interioris, in quo ſubſiſtit Religionis eſſentia: idem prorſus orationis, ac meditationis ſtudium, humilitatis, manſuetudinis, modeſtiæ, ſimplicitatis, obedientiæ, paupertatis, fervoris, pœnitentiæ, ceterarumque virtutum; quarum ipſe Beatus Generalis & *Rector* exiſtet, in hac Parænetica Regulæ Expoſitione: & quod de S. Malachia pulchrè pronunciat D. Bernardus, ipſe itidem in vitæ ſuæ hiſtoria *Regula* in noſtrorum animis æternùm victura.

Monebit demùm priſtinum & antiquum *Carmeli* vigorem de facili revocari poſſe, vel iam revera à vobis, DEO juvante, glorioſè multis in locis revocatum, firmiſſimis præſidijs ſtabiliri; ſi animadverteritis, quotquot in Turoniæ, Aquitaniæ, ceteriſque Galliarum Provincijs religioſam vitam avidiùs conſectātur, nihil agere, nihil moliri, nihil attentare; quàm vt veſtris ſub auſpi-

cijs, nec-non vigilantiſſima directione eum ipſum vivendi modum intra primævam Ordinis antiquitatem obſervent; quem ab ipſomet B. Sorethio, dum vniverſæ Religionis noſtræ gubernacula moderaretur inſtitutum, obſervatumque in Gallijs; ex ipſiuſmet Vitæ & Operis lectione luce meridiana clariùs dignoſcetis. Atque ea propter cùm hæc, quæ lippientibus oculis novitas apparet, *nulla ſit novitas; ſed vera vetuſtas*, noſter vt ait Mantuanus; quâ nimirum. DIFFINIT' GENERALI

Religio & pietas Patrũ inſtaurata reſurgit,
Et veteri inſeritur bona virgula trunco.

Rogabit (niſi etiam ſanctiſſimi Superioris preces, in Religioſiſſima poſteritate imperij vocem & pondus obtineant) iterumque in publicis Comitijs à vobis omnibus impenſiùs efflagitabit; vt *natam in Gallia* veſtro ſpiritu vitæ Regularis Obſervantiam, fætu veſtro adultam: iam penè virilem, veſtro ſingulari patrocinio conſervare pergatis ac tueri. Et hoc nimirum vigilantiſſimæ erga nos veſtræ charitatis

patrocinium, quingenti & ampliùs in Galliarum Regno non modica spe Religiosi, qui sub vmbra vestra sperant ac respirant quotidie, nobiscum diffundent ad Nepotes. Ibitque in secula eos Superiores Carmeleum Ordinem moderari, qui in suorum salute vsqueadeò invigilăt; vt Inferiores Carmelitæ plus illis quàm Parentibus, minùs solùm quàm DEO immortali debere se fateantur. Et ità fateantur, vt salutis inchoationem, quàm à vobis acceperunt, consummationem quam ab alio nemine secundū DEVM expectant; gratâ animi memoriâ, & benevolentiâ colant sempiternâ.

REVEREN.

IV

Istud porrò obsequiosę servitutis debitum pro nobis erga vos, oppignerabit idem Generalis Superior B. Ioannes Sorethius; qui paterno jure à vobis Coronæ meritorum, quibus radiat in celis, hunc lemniscum addi expostulat: hæc requirit in suorum animis templa, has pulcherrimas effigies, scilicet virtutes Successorum. Quos inter miramur te divino Numine hoc die

electum, Reverendissime Generalis, vt tanto Prædecessori; quod aiebat ille Imperator, ære perennius existas monumentum. O tuis cœptis, nostrisque omnium votis annuat Devs, Confirmetque super filium Hominis, te nimirum Beati Sorethij filium & hæredem, quod in te iam cœpit operari! Eia igitur. DEFINIT. CARMEL.

Indue mente Patrem, crescentes dilige fœtus.

Non dubius quin tantæ erga functum Parentem pietatis, erga viuentes Filios charitatis æternum præmium ferat Celeste illud Numen; quod non tam inani & pompatico verborum cultu, quàm Superiorum amore in Inferiores, ac vicissim relata Inferiorum erga Superiores charitate & obsequio amat conciliari. Rhedon. Armoric. XX. KAL. IANVAR. MDCXXV.

REV EREN.

REVERENDISSIMO
P. GREGORIO CANALIO
ORDINIS CARMELITARVM
GENERALI.

OBSERVAT. CARMEL. RHEDON. BREVIS RELATIO V

QVòd felix, fauſta, fortunataque ſit tua, REVERENDISSIME PATER, in Ordinis noſtri Generalem coaptatio, cùm vniverſi optimè de rebus ſentientes benè augurantur: tùm maximè quotquot vivunt in *Obſervatia Rhedonenſi* Carmelitæ, ſuprà quàm dici poteſt congratulantur. Neque verò tantas gratiarum actiones pro ijs quæ hactenùs prȩclarè ſatis geſta ſunt, DEO immortali referendas exiſtimant; quãtas pro novo iſto beneficio, debere ſe vnanimi conſenſu profitentur. Agnoſcunt ſcilicet te optimum Parentem celeſti nutu, votiviſque omnium calculis noſtrarum rerum clavo admotum;

vt priſtinus Carmeli decor vel vberiùs effloreat,vel magis ac magis augeatur. Is nempe eſt totius præſertim Obſervantiæ Rhedonenſis ſenſus, votum, ſpes, & exiſtimatio. Nec illa quidem vt ſperatur, vana & inanis; ſi modò permittat R. V. P. hanc ſua fronte proponi: & nativo veluti apparatu, gratulabundam occurrere.

GENERALI CARMEL.

VI.

PRIMVM itaque dono quodam Providentiæ ſingulari,nec ſine graviſſimis, vt aſſolet,difficultatum impedimentis; *ſub orta* eſt tantilla hæc Rhedonenſis Obſervantia, tenente totius Carmelici Ordinis gubernacula felicis memoriæ Henrico Sylvio, Sapientiſſimo Generali. Quo quidem tempore,Romam ſe contulerũt melioris vitę cupidi,è noſtris omnino quatuor; poſtulantes ſibi vel ad Reformatum Ordinem migrandi licentiam non denegari,vel certum in Gallia aſſignari Conventum; in quo lapſam vbique per temporum clades; normam vitæ communis, interiora etiam pjetatis exercitia, iuxta votorum, nec-non quam profitemur Regu-

REVEREN. læ præceptiones, possent instaurare. Porrò consilium demutandi Ordinis, quod altiùs inhærebat, divertit qui vices Generalis, Neapoli tum degentis, per ea tempora Romæ gerebat. Vtque pervincerent, interposita quoque fuit in eum finem E. C. Pinelli Protectoris autoritas. Inde-adeò priusquam reditum maturarent, certissima fide pollicitum, fore vt ipsemet Generalis mox visitans Galliarum Provincias, Reformationem destinato ad id speciali Conventu ordiretur. Nec defuit promissis Vir vt ceterà perquā illustris, ita Reformationis amantissimus. Brevi namque Galliam lustrans ferè vniversam, contulit se in hanc Turoniæ Provinciam. Nannetas venit, ibique dictatis pro Reformatione nonnullis Legibus, *Rhedonensem in Armoricæ* Metropoli Conventum nominavit, vti jacta in eo jam dudum à V. P. Behourtio Armorico, cujuscumque Reformationis fundamenta firmarentur.

Verùm Henrico humanis rebus exēpto, jacuisset tenuis adhuc moles; ni-

ſi mox ſuſcitaſſet Deus R. P. Sebaſtianum Fantonum Deceſſoris ſui, vt dignitatis in Generalatus officio ſic ardoris in promovenda Reformatione verisſimum Succeſſorem. Is nimirum ſublectus ad Ordinis regimen, naſcentem tunc Rhedonis Obſervantiam tanto pietatis zelo complexus eſt; vt quoad vixit, pluribus *adoleverit* incrementis. Nam ſub eo & Provincia Turonenſis nonnullos ſibi Conventus adiunxit: & qui priùs erecti in ſitu & ſquallore jacebant, reſtauravit, locupletavit. Brevique temporis intervallo, haud minùs trecenti ſpe & indole optima Viri; in novæ Reformationis Inſtitutum, ſolemnibus Votis adſcripti fuêre. GENERALI CARMEL-

VII

INTER hæc nova rerum facies ſuo movit exemplo Carmelitarum plurimos in *disjunctis Provinciis*, vt idem capeſſerent vitæ melioris conſilium. Iuvêre noſtri tantiſper vel juſſi, vel poſtulati. Suis tamen ſemper intenti, magis quàm alienis; cum firmisſima etiam & perenni tùm *capitis*, tum corporis to-

tius membris adhæſione. Adeò-vt ejuſmodi auſpiciis inſtituta hactenus vivendi ratio, non omnino infeliciter duraverit. Quin & porrò duraturam, bono omine ſperamus; ſi modò Optimus Canalius in ea, vt par eſt, tuenda, augendaque, ſuis inferior Anteceſſoribus nequaquam extiterit. Fiduciam inijcit, quòd te, REVERENDISSIME PATER, vt Henrico & Sebaſtiano Doctrinę ſimul ac Virtutis laude ęqualem: ſic vtriuſque in Dignitate Succeſſorem creari, votis à DEO impetratum eſt.

Quod ſanè quidem factum iri confidimus, ſi bonus Paſtor vultus Peculii ſui, ſuoſque greges tantiſper conſiderare ſuſtinuerit. Iſtud verò imprimis; non aliud eſſe minimæ hujus Reformationis Inſtitutum, nullum aliud inter nos conſilium: quàm *intra* Votorum ac Regulę inter vovendum nuncupatæ, Aſceticis Patrum virtutibus perenniter adhærere. Eiuſmodi nobis pali terminales præfixi; haſque intra lineas Superiorum nutu pręſtitu-

tas, nec vltrà decurrere, & pro virili ad metam ſupernæ Vocationis contendere. GENERALI CARMEL.

VIII

Et verò prima nobis vitæ Spiritalis elementa, Neophytos ita informant, vt in omnibus juxta ſanctiſſimæ obedientiæ leges toti pendeamus à Superiorum imperijs & nutu: & procul ab omni *novitatis*, aut mutationis ſpecie; niſi quam ſuperiores, vitæ ſtrictioris ac ſpiritalis (quæ vnicè coli à nobis debet) perfectioni conſentaneam judicarunt. Docemus deinde cumprimis non coli Devm inter nos diſſenſionis, ſed pacis: concordiâ res ſtabiliri, charitate nutriri, zelo accendi, foveri doctrinâ, cuſtodiri ſinceritate. Inde nec vlla prorſus à reliquo corpore diſſimilitudo; præter eam quam Reformationis Conſtitutiones non ſemel à Superioribus approbatæ, neceſſariò inducunt. Fallimur. Ipſiſſimam Carmeli genuinam indolem, in nobis optamus exhibere. Quænam illa Devs bone? Plenaria in victu, veſtituque communio: cultus ſacrorum atten-

tior, & intentior; vita rigidior, qualis Pœnitentes decet, & primitivę pietatis Ascetas. REVEREN.

IX Sed enim pręcipuum nostri opus Instituti docet nos Regula, vitam esse *spiritalem*: à sęculi tumultu & curis, quantùm patitur annexa Proximi salus, remotam. Quare omnes conatus nostri in eum præcipuè scopum collimant, vt meditationi, lectioni, mortificationi, ceterisque in omni benè morata Religione solemnibus exercitiis operam navantes: seriò aspiremus ad eum Regulæ finem, iuxta quam & vivere & mori, distinctis coram DEO & Hominibus, cordis & labiorum votis profitemur. Ceterùm vix aliud quicquam docemur accuratiùs, quàm perutile temperamentum CHRISTI & Eliæ: Servatoris clementiæ, & zeli in nostro Patriarcha ardentissimi. Vt sit præ ceteris mutua, & inconcussa inter omnes concordia: stringatque charitas & amor, ceu firmissimum pacis & perfectionis vinculum, Fratres vnius moris in DEI, & DEIPARAE

Familia ſanctiſſimè cohabitantes. Hinc bonarum Mentium celeſtes deliciæ, & lætitia ſecundùm faciem Sanctorum. Hinc inferiorum adverſus Superiores veneratio, & obſervantia ad nutum Præſidentium. Vti his viciſſim autoritas plena, verùm tantâ ad inſtar CHRISTI indulgentiâ & mititate condita, delibutaque; vt minùs metuantur, quàm amentur: materna teneritudine magis quã paterno ſupercilio vel malos corrigant, vel bonos regant ac dirigant. Subpuderet nos hæc balbutire, niſi apud Patrem; cui ſtudia Liberorum & intima debent prorſus innoteſcere. Iuvatque vota & deſideria exponere, quibus hoc vnum ex DEI, & CHRISTI ope ſatagimus; vt præſtitutæ in Carmelitana Regula pietati attenti ſimus, totiſque viribus intenti. GENERALI CARMEL.

NEC verò interim *Doctrinæ*, ac Literarum ſtudia eliminantur, quin potiùs doctrinam & eruditionem tam celebramus, quàm qui maximè. Sed fatemur nos ita ſtudendo informari, vt X

pietatem cujuslibet ſtudii proram ac
REVER, puppim, quod dicitur, foſſam ac val-
lum vſque recordemur. Caveamuſ-
que abs ſcientia, haud ſecus quàm
ab inani tumore; quo citra charitatis
ſuccum inflati non pauci, miſerè rum-
puntur. Silemus, ne ſit ſuſpicio ela-
tionis, qui à noſtra Iuventute pietatis
& doctrinæ fructus ſperantur in dies:
immò & jam per Numinis benignita-
tem, percipiuntur. Chara vtique Eru-
ditio eſt, ſed longè Religio charior. Stu-
dia colimus Diſciplinarum, at com-
munem Vitam, & arctiori virtuti de-
ditam ſecundùm Regulæ præceptiones
publico vovemus Sacramento. Quis
autem jure, REVERENDISSIME PATER,
incuſet quòd tanti non faciamus vi-
trum, quanti margaritum? Sunt equi-
dem in amoribus pietas, & doctrina:
ſed hæc minùs, illa magis. Multùm
Eruditio, Religio plurimùm. Vna cir-
ca nos, & in oculis: altera intra nos,
in ipſo ſinu & in pectore, in corde.
Pietas ceu manus dextera, noſtrum
corpus ſuſtineat: at neque careat læ-

væ officio, caveat ſolùm à vicinæ levitatis contagio. Servam, cui natura eſt ancillari; Liberæ, cujus faſces ſunt & imperia, non permittimus dominari. Quid hîc porrò peccatur? Fortè quòd *Gradibus, Graduatorumque Priuilegiis* nuncium remiſimus? Sed tàm ſpontaneo, quàm vnanimi conſenſu: expreſsâ in id Conſtitutione, quam Superiores identidem approbarunt, Inferiores certatim ſunt amplexati. Docti vt evadamus, ſolerti cura efflagitamus à Deo Scientiarum Domino & Parente; nec interim parcimus oleo; aut operæ. Vt Doctores, omninò recuſamus. Gradus & Laureas Eccleſiæ frugiferas, Religioni decoras in aliis veneramur: in nobis veremur, ne abutamur. Si cedimus noſtro Iuri, nemini certè ferimus injuriam, Illuſtres titulos, à rei veritate ſecernimus: hanc eligimus, illos diſpungimus. Doctrinam optamus; doctrinæ inſignia initæ inter nos ſimplicitati minùs conſentanea, iis relinquimus qui maximè vtentur. Feratur quiſque curſu ſuo,

GENERALI CARMEL.

quò dirigit eum Spiritus divini aura &
REVER. aſſlatus. Pileo donatus, non ſtatim liber vt indonatum ſpernat. Nec temperanti ſibi ab ea Magiſtratura, promotos fas eſt criticè vellicare. Paſcatur grex omnis juxta ordinem ſuum, & DEVS pacis præerit vniverſis.

Reſtat itaque tandem, REVERENDISSIME
XI PATER, vt dum nouo (quod facis eximiè) officio invigilas, Clauſtri corruptelis procul & procul amādatis; Diſciplina inter nos ſtrictior, ſanctiorque conſtabiliatur. Nos verò operi vnicè neceſſario toto niſu incumbentes, Majorum exempla trahemus in imitamentum. Illi nempe Prophetarum Filij, flammeo curru raptum Protoparentem Eliam prolixè elugebant. Ecce tibi Eliſęum cernentes, Iordanis aquas hinc & inde miraculo dividentem: hunc illicò velut evolantis Patriarchæ Succeſſorem legitimum, per adgeniculationem & obſequij vota conſalutavêre. Non aliter te à DEO capitibus noſtris impoſitum veneramur, & obſequioſo affectu amplecti-

mur. Persuasique revixisse in Gregorio Canalio sapientiam Henrici, Sebastiani probitatem; duos in vno, nos habere gloriamur. RHED. ARMORIC. IDIB. DECEMBR. AN. M. DC. XXV. GENERALI CARMEL.

REVERENDISSIMO
P. THEODORO STRATIO
TOTIVS ORDINIS
Carmelitarum Generali.

REformatio Carmelitarum in Gallia, primùm olim Rhedonis Armoricorum Metropoli instaurata, sistit se pedibus tuis, REVERENDISSIME PATER, non tàm vt imploret protectionem sapientissimi Generalis, quàm vt amantissimo Patri gratias referat immortales. Illa nimirum jam ante triginta annos & ampliùs, divino planè beneficio *nata* sub auspicijs Hen- CONSTIT. REFORM. XII

REVEREN. rici Sylvii tui quodam Prædecessoris, aucta Sebastiani Fantoni sollicitudine, curisque Gregorij Canalij feliciter propagata; ab vno Theodoro Stratio, perfectionem expectabat & splendorem. Cunæ aliquid habent infantiæ, prima incrementa fuêre semper rudiora, propagatio opus est plenum aleę periculosissimæ; sola rei cuiusque firmitudo & absoluta cousummatio, coronam promeretur. Quippe, infit Christianæ Princeps eloquentiæ D. Hieronymus, *incepisse multorum est, paucorum verò pervenisse ad finem & vmbilicum*. Tibi igitur, nobisque gratulamur supra modum, quòd tuis imperiis solemni voto, perpetuaque voluntate adhærentes, videmus tandem eradicatis vitiorum corruptelis primævam pulchritudinem Carmelo nostro felicissimè restitutam. Iam enim desierunt hybernæ sterilitates, & frigora: imbres, diluviaque evanuerunt; flores eruditionis, pietatisque fructus grata iam maturitate, in terra nostra protuberant. Vox invitantis audita, vt Mon-

tem Domini coagulatum conſcendentes; optimiſque Carmeli fructibus perfruamur. Tu Protoparentis Eliæ magna propago, ſedes in beati Montis vertice, ſeu flammeo zeli gladio diuini cultus hoſtes ad internecionem interimens: ſeu auguſtas Carmeli ſolitudines contemplatione, ſilentio, oratione conſecrans; ſeu demum Leges tuis ferens Carmelitis olim Prophetarum Filijs, reparandæ inter nos Monaſticæ Diſciplinæ vtiquè neceſſarias. GENERALI CARMEL.

BENE enim ac ſapienter Majores noſtri definierunt, Animam rerum omnium eſſe Ordinem: qui certis quibuſdam regulis, & inviolatis *legibus* debet contineri. Quod in vniverſa conſtitutione Mundi huius, qui ab ea pulchritudine nomen ſortitur, verum ſit: tum verò in Cætibus Monaſticis, nec non Religioſis Congregationibus veriſſimum. Indè enim revera ORDINES appellantur, vt intelligant Monaſteria Civitates eſſe, ſeu vitæ ſanctioris Reſpublicas, quarum XIII

:EVEREN. ſalus in perenni Legum obſervatione ſita eſt. Neque verò vlla vnquàm Multitudo in vnum coaluit, cui non fuerit ab ejuſmodi præceptis prima inſtitutio, jugis conſervatio, perfectio demum, quàm fieri poteſt, inter Mortales abſoluta. Res enim iiſdem omnimò principijs & formari, & conſervari certiſſimum eſt. Vndè quod in Homine mens, in corpore oſſa ac nervi, in ædificijs tùm fulcra, tùm fundamenta; hoc ſunt profectò in Religioſis Ordinibus Regulæ, Statuta, ſeu Conſtitutiones. De quibus egregiè Salomon; *Tene diſciplinam, ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua.* Accinitque S. Bernardus, vbi Fratres ſuos hortatur; *vt ſtantes in Domino, ſollicitiſint ſemper circa cuſtodiam Ordinis, vt & Ordo cuſtodiat eos.*

XIV Quo Spiritu ducti Patres ſapientiſſimi, iidemque ſanctiſſimi Moderatores; ea imprimis ratione, commiſſæ ſibi à Deo Religioni conſulendum putaverunt. Viderunt quippe non ſolùm certas leges, ab omnibus haben-

das esse: sed etiam diversis statibus, secundum cujusque principalem finem & ad hunc acquirendum commodiora media, *diversas* convenire; cùm leges politiis, non legibus politias; lapidem amussi, non amussim lapidi aptare æqua ratio persuadeat. Enim verò quia Legum *mutationem* plerumq; exigit morum, temporum, locorum, ac personarum demutatio; eos oportuit quæcumque ad optimum Carmelitici Ordinis regimen vel bona primùm, vel deindè decursu temporis & experientia duce, meliora judicarunt: per partes, classes, capitaque discriminare, & toti Ordini observanda proponere. Vnde sicut olim primitiva nostra Regula per Albertum Patriarchā Hierosolymitanum conscripta, Patribus nostris solitudini dumtaxat, ac contemplationi deditis, abundè sufficiebat: ita cùm per autoritatem Ecclesiæ ad Proximorum salutem adducti fuimus, coëgerunt diversa iam variati status nostri munera, nova varijs ætatibus decreta condere; quæ antiquiora supple-

GENERALI CARMEL.

rent,explicarent,perficerẽt. Sunt igitur
REVEREN. CONSTITVTIONES quęlibet velut Regulę appẽdices;quo ſenſu Leges rationis &naturę appendices,Philo nuncupavit.Sunt divinæ Legis quædã ſcintillæ, àqua etiam ne mera conſilia reputentur,vim & vigorẽ derivant tantum; quantus vel moralis, vel pœnalis pro Votorum juxta Regulam obſervatione neceſſarius eſt. Vincula ſunt clauſtralis Diſciplinæ, non ſemel in Ordine noſtro à diverſis fortiùs religata, vt Religio ipſa firmiùs ſtabiliretur.

XV SIC à multis retrò ſeculis, VARIAS CONSTITVTIONES in vnum collegerũt Reverendiſſimi Prædeceſſores tui felicis memoriæ; Ioannes Balliſtarius, B. Ioannes Sorethius, Nicolaus Audetus, Ionnes Baptiſta Caſſardus,Henricus Sylvius,Gregorius Canalius Generales. Item in Gallia, Obſervantia Albigenſis: In Italia, Mantuanorum Familia: in Hiſpania, Congregatio Diſcalceatorum; qui facem præferente Sancta Matre Tereſia, Statuta ſibi confecerunt, quibus eximia eorum

Reformatio intra Regulam ab Innocentio IV. mitigatam, iam à ſexaginta annis ſanctiſſimè, ſuſtinetur. Quorum omnium exempla ſecuti, teque preſertim in verba præeunte, REVERENDISSIME PATER, ex illis antiquis, moderniſque Conſtitutionibus VNVM CORPVS hîc colligimus. In quo velut in ſpeculo prima fronte appareat, quid à Carmelitis tuis melioris vitæ cupidis, vitandum, quid amplectendum: quomodo vitia removenda, virtutes promovendæ; qua ratione Superiores dirigere debeant, ac corrigere, Inferiores regi ac ſubdi; quæ demum ſigillatim facienda ſunt, quæ verò omittenda. Cùm enim à triginta quinque annis & ampliùs, adjuvante DEI manu Omnipotentis, noſtra hæc minima REFORMATIO RHEDONIS ARMORICORVM, in Turonenſi Provincia feliciter incepta, quotidie in dies magis ac magis propagetur: & eodem aſpirante celeſti Numine, pietatis & doctrinæ fructus producat in multis paſſim Vrbibus & Provincijs minimè pœnitendos; non

GENERALI CARMEL-

animus fuit, novas Reformationis vias inire, nova nostro Instituto decreta cudere, sed renovari solum quantum licet, in spiritu vocationis nostræ, novos mores hominemque induere: & quæ à Patribus nostris ritè constituta sunt, tamquam vnicum vitæ exemplar nobis proponere. Nonnulla verò *supererogationis* opera intra Regulę perfectionem & Ordinis Statuta, ex Sanctorum exemplis, & communi, hoc maximè ęvo, Reformationum vsu addere visum est; vtpotè vitæ inter nos spiritali, & iam mixto Carmelitarum primario Instituto maximè consentanea.

XVI Certè enim religiosè pronunciamus cum Augustino; *Nos solùm quod inuenimus in nostræ Religionis puritate, tenere: quod in Ordinis Constitutionibus didicimus, docere, quod à Patribus scripto, vel exemplo accepimus, Filijs tradere.* Ergò NIHIL OMNINO NOVVM hîc damus. Sed tantummodò quę docuerunt Ordinis Statuta, Rhedonenses Constitutiones, Capitulorum Provincialium Sanctiones, & Congregationum inter nos annua-

rum Decreta, à Superioribus, & Capitulis Generalibus approbata; illa demùm quæ multorum pridem annorum experientia, & religiosa praxis formavit. Et illud quidem sactisfacturi omnium Conventuum votis. Nam à longo iam tempore animadverterunt vniversi, non habere se in manibus certa quædam Statuta, ad quorum normam nostri Regulares vitam efformare possent. Quia & Rhedonensis Observantiæ præceptiones, pleraque ad Ordinis Statuta remittunt: & hæc omnium manibus committi nec possunt, nec debent; eo quod multa eis admixta sint, quæ seculi ac locorum consuetudini accommodata, institutæ à Deo inter nos qualicumque Reformationi non vno nomine repugnant. Quæ præsertim causa fuit, cur publicè, privatimque postularint Patres nostri, hanc Statutorum in vnum manipulum *Collectionem*: velut constantem, & vniformem vitæ nostræ Idæam, quam perpetuò contemplari omnes, & in nostris actionibus religiosè ac ferventer imi- GENERALI CARMEL.

tari deberemus. Nec vero alia ratione moti tot magnæ expectationis & optimæ indolis Iuvenes, suis rebus nuntium remiserunt, quàm vt sanctissimis Institutis, scopum Religionis Carmelitanæ Deo iuvante assequerentur.

Harvm igitur Constitvtionvm
XVII Obligatio, seu autoritas inde manat vnde & earum materia; hoc est ex Ordinis Constitutionibus, & Religiosâ inter nos praxi. Quod vtrumque colligere summatim studuimus, hocce Compendio. Sigillum erit, Optime Pater, si scripto deinceps approbas, sicut dudum facto confirmas. Tanti nimirùm Patris exemplo animati, tibi modò adgeniculamus nostram hanc minimam Observantiam; vt post approbatas iam illius Constitutiones, Reformatio à te, tuisque Prædecessoribus instituta, (nec enim alios quærimus fontes) in Turonensi Provincia ex Dei benignitate firmiter stabilita; bono in posterum omine confirmata, vtriusque pariter auspicijs per omnes Galliarum Conventus, si annuere &

juvare pergit Numen, facili tramite propagetur. Hoc à te expectat vniversus Ordo. Sed vtiqueardentioribus votis, quotquot in Gallia Carmelitæ melioris vitæ cupidi, DEVM precantur; vt te annis Nestoreis, in publicæ Reformationis bonum servet incolumem. Ita voveo,& auguror. IN CARMELO ANDEGAVENSI NON. AVG. AN. MDCXXXVII. GENERALI CARMEL.

Ad Eundem.

HAc opinor, vice vltima, dum exuo Provincialatum, REVERENDISSIME PATER, de nostris rebus summatim rescribo; vt nimirùm completis Visitationibus nostris, potiora rerum capita, vestris statim oculis, animoque subijciantur. PROVINC. NEGOTIA POTIORA XVIII

VRGET impensè, Regia Majestas Reformationem vestri hic ** Id necessarium nequaquam inficias eo, verùm respondi plusquàm semel pendere id

REVER.

totum à vestra autoritate, nostram vero opem hâc in re vix expectandam; apud quos vetus propositum, lentè festinare, & moliri ante omnia; vt quicquid Observantiæ intra Provinciam est, ex DEI benignitate sartum imprimis, tectumque conservetur. Sacri igitur Consistorij istud fuit Decretum, vt quantociùs vos commonerem: scribitque propterea Rex Christianissimus ad suum Oratorem, immò & ad vestram Paternitatem. Causantur plerique alij (id enim ego non exploro) scatebram inolitæ vitæ, *duplicem*; N. multitudinem; simulque N. vt fert ea ætas & occupatio, licentiam. Quare & Reformationis inibi via duplex; Directionis, & Introductionis. Istam minimè omnium optamus; quippè, vt res sunt, illis prędifficilem, nobis periculosissimam. Exacta nimirùm vivendi ratio stat fermè in punctitio, quemadmodum numeri, rerumque substantiæ. Si augetur tantillùm, si minuitur; frangitur planè. Nec simile vero est, nostræ Reformationis viam posse inte-

gram iniri eo in Asceterio. Satius igitur, me Iudice, foret cogitare tantummodò de honesto, & probabili vitæ genere. Ita-vt intima Regulæ, & Constitutionum observentur. Absint crimina, & scandalorum genus omne. Pietatis cultus, qualem sustinent Doctrinæ studia; qua ea potissimum in maiori Domo tam deberent florere, quàm & ipsa jacent magno Ecclesiæ, & Ordinis detrimento. Hac siquidem duplici pietatis, & doctrinæ columnâ fulciri necessariò debet, vt suæ demùm integritati reparetur.

GENERALI CARMEL.

Iam res quoque *** vetus malum insolentibus *Privilegijs*, saltem per hoc tempus maximè importunis, remedium à vobis vtique efflagitant. Mores nequidem delibo. Habeant res suas, dummodò nostri Regulares contra fas & æquum minimè immisceantur. Sed feremus nunquam nostros è suæ Matris sinu per fas, ac nefas avelli: avulsos eo in recessu perennare, citrà Majorum inspectionem. Quis enim visitavit ab annis, vt minimùm qua- XIX

draginta? Adeò si quid perperàm in Ecclesia, Religione, Politiaque committeretur; nemo foret in tota Gallia, qui illorum redderet rationem, Eo modo convaluerunt, non diffiteor. Sed temporum varietati, mores accommodari par est. Si viveret hodiè Beatissimum Par, cui sua debent initia; dubium minimè est, quin eadem ratione, ob quam Privilegia olim procuravere, nunc rescinderent. Provincia scilicet, jam in totum per DEI gratiam Reformatâ, cessant causæ exemptionis. Hanc cancellat Synodus Tridentina, ad cujus normam nulla non Monasteria debent deinceps revocari. Secessio ea non potest non magnopere Regularem Observantiam turbare, quod ducentorum ferè annorum constat experimentis. Et vt modestissimè loquar, non satis tuta videtur & secura: Repugnat insuper decreris expressissimis *Rhedonensis Observantia*, Constitutionibusque Reformationis. Aetate, scandalo, aut famâ iniquâ graves remitti possunt ad Provinciam; cui vix inservierunt

REVEREN·

runt, in qua etiam nusquam fortassis admissi fuêre. Sunt alia, & quidem innumera, quibus nemo est tam parum prudens vt non concludat; Privilegia ejusmodi quamvis fortè aliàs non illegitimè concessa, iam ad sacros Ecclesiæ Canones, ritusque esse deinceps emendanda. Et hoc decretum est Regi Christianissimo, Eminentissimoque Cardinali. GENERALI CARMEL.

NON minoris ponderis existunt, aut momenti *Constitutiones*; quas per te, REVERENDISSIME PATER, approbari à Sanctissimo etiam atque etiam efflagitamus. Optat id jamdudum concordibus votis, tota Provincia; quæ quidem suo vivendi generi quid congruat, didicit per plurium annorum experimenta. Quod in omni virtute, & regimine vim habet maximam; assuevit nostra omnis Iuvẽtus in ejusmodi cultu, & praxi. Grande verò pretium in omni multitudine mores, & consuetudines probas vix ac ne vix quidem demutare. Sed vrgemur Constitutiones per Breve Apostolicum iam approba- XX

tas, & quidem nostras. Pace illorum
REVEREN. dixerim, PATER REVERENDISSIME,
fuerunt nostræ, non sunt. Ova peperit legitima Mater, sed aliena ope exclusa, & excusa. Legum, quibus inter nos vivitur, & intima, & facies sic deformata, vt nec ipsi deinceps agnoscamus. Superatque fidem omnem, peregrina nobis & inconsultis, & verò invitis intrudi. Quàm necesse revera est haberi in omni benè formato corpore Constitutiones certas, ratas, fixas; tam vtiquè legitimum vt sint è suo sinu, si aliundè non licet accipere. Tolle Statuta, diffluit Disciplina omnis. Non aliter quàm solutis compagibus, nervisque; ruit planè tum ædificij, tum corporis moles. Reponitur esse opportunissimum ab vno fonte rivos dimanare, vnicâ radice quicquid arboris est sustineri: ad vnam normam, regulamque cetera dirigere, & erigere; ne sit videlicet discolor hæreditas vestra, ne tot sint Reformationis viæ, quot capita; & vt quæsita illa vniformitas, sanctiùs efflorescat. Annuimus porrò, &

passim ea verissima profitemur. Sed æquus quisque judicet, vndenam peti debeat ejusmodi Regula vnica? Quive primores habendi in quavis arte, nisi qui per frequentem vsum censentur peritiores. GENERALI CARMEL.

EA sunt, REVERENDISSIME PATER, quæ scripsi, respondens ad Epistolas ea super re Eminentissimi Cardinalis Bentiuoglij, & Excellentissimi Regis nostri Oratoris. Quibus adductus, vt indubitatis, vester zelus, efficiet non dubito; vt cupitis, necessarijsque Constitutionibus per Apostolicam, vestramque autoritatem approbatis brevi potiamur. Hoc à vestra cura expectant, non minùs sexcenti Religiosi; quibuscum D. O. M. deprecabor, vt V. R. P. nobis diu servet incolumem. XXI

LVTET. PARIS. KALEND. FEBR. M. DC. XXXVIII.

REVEREN.

REVERENDISSIMO
P. LEONI BONFILIO
ORDINIS CARMELITARVM
Vicario Generali:

RESCRIPTIO XXII

QVam mihi licet immerenti, adeò ſincera fide amicitiam offers, REVERENDISSIME PATER, toto animi ſinu amplector. Et cùm par pari referre tenuitatis meæ non ſit, DEVM precor animitùs; vt qui ſanctiſſimi fœderis Autor eſt, ſit & ipſe Coronator. Pignus religioſæ fidei jam â te recepi, illudque cum ingenti fœnore. Enimverò quia ex ſcena Autoris inter vos ſcitiſſimi, *beneficia beneficiis aliis pertegenda ſunt ne perpluant*; nihil ampliùs de me habeo quod ſpondeam Paternitati tuæ, quæ me jam totum, ſibi velut ex ære & libra mancipavit.

Sed quando amicitiæ leges pudorem non agnoſcunt, metum ignorant; per tua te Rogo merita, vt tantis beneficijs auctuarium addat, *zelum* erga Reformationem ſinceriſſimum. Fruſtra enim eſt quicquid vltra DEI gloriam, Eccleſiæ decus, & Religionis amplificationem contendimus. Loquar ingenuè cum optimo Patre, Virtutem amo, Solitudinem: Literas imprimis, quæ DEO ita volente amicitias conciliarunt non indecoras. Ideoque decretum mihi erat à negotijs, muneribuſque publicis, vbi præſertim animarum cura illigatur: & cum multitudine etiam innoxia agendi neceſſitas, prorſus abſtinere. Humeros tamen iterum ſubmiſi Provincialatus iugo. Vicerunt me lex Providentiæ, concors noſtrorum voluntas, à quibus longè abſens ſum electus: ſecretũ olim votũ, ſi juberet Numen, Italiæ viſendæ: cupido Fidei, & Obedientiæ Sedes primarias, præ reverentia & amore adeundi. Te verò imprimis, REVERENDISSIME PATER, to-

GENERALI CARMEL.

REVEREN. animi sinu coram complectendi. Verùm quod caput est, speravi futurum; vt plura institutæ inter nos Reformationi congruentia, vestra autoritate, ac intercessione, per occasionem *Capituli Generalis* vel statuantur, vel denuò confirmentur. Autoritas, quàm tibi auguror plenariam, spem ejusmodi rerum pectori meo accendit. Faxit DEVS vt in illius gloriam, cedant vniversa.

XXIII INTERIM dum me accingo itineri, mitto tandem quod imperasti dudum: Vmbram scilicet vestræ hujus Provinciæ Turonensis. Quâ raptim delineavi Conventuum omnium Fundationes addito ad calcem Defunctorum Menologio.

Missiones in Iberniam: simulq; Reformationem Belgicam, Germanicã, Francicam Narbonicam, Aquensem aliarũque eiusmodi Provinciarum, possumus quidem cum DEI auxilio vtcumque iuvare, nec vnquam detrectabimus V. R.P. per omnia obedire. Ego imprimis nulli parcam operæ aut labori,

vt opus adeò ſanctum vrgeatur. Verùm nihil executioni poteſt demandari, niſi poſtquàm mutua collatione, quæ à nobis, alijſque peragenda ſunt, veſtra autoritas præſcripſerit. VICARIO GENERALI CARMEL.

CETERVM de rebus Eminentiſſimi Cardinalis, de quo tàm prolixa humanitate mecum agit V. R. P. ſcribam ſub initium anni proximè futuri: & Muſæ divitias mittam, velut Apophoreta. Vtinam vellet in majoribus, ſi quid iſtic poſſumus, experiri meam fidem, amicitiam, obſequium; quod tibi devoveo, vſque ad aras. NANNET. ARMORIC. PRID. KALEND. NOVEMBR. AN. M. DC. XLIV.



ceteris, licèt omnium minimè idoneus id ſemper ardentioribus votis & optavi, & poſtulavi. Teſtes qui nunc in Italia degunt luculentiſſimi, quibuſcum ea de re actum ſępiùs EE.CC. Bichius, Grimaldus, & jam olim Illuſtriſſimus Epiſcopus Aſcolinatus Bolognetti. Quid ergo nobis à tot annis *rem oram* hactenus injecit? Dicam ſincerè, & coram V.R.P. non aliter, quàm ſub oculis CHRISTI, qui poſuit eam ſuper capita noſtra. Per decem retrò annos alijs negotijs obruebar, neque modò fermè plus otii. Res veſtræ huius Provinciæ (quod in Reformationum primordiis ſolemne) à nonnullis extra, intraque ſuccutiebantur. Majorum autoritas per id tempus haud ſatis clara, aut firma; ordo rerum in Hybernia agendarum, vel in Reformatione; nullo pacto præſcriptus, ratus-ve. Ita verò & ea indole conſtitutum me agnoſcet, & patietur ſi placet, V.R.P. vt occupationes toto niſu huc vſque fugitans, nihil aggrediendum ducam, niſi media ſubſint; queis auxiliante

VICARIO GENERALI CARMEL.

REVEREN- Numinis Providentia, spes satis prudens affulgeat finem in negotijs constitutum attingendi. Verè pudorem vnà tecum agnosco, ad tam multam messem nostros dumtaxat Homines perenni veterno torpescere. Sed & nos vltra dementiam amentes, si destituti in necessariis nitimur ad supererogationis opera. Primò vacandum, vt intùs res nostræ sint in tuto. Tum DEO, vobisque edicemus; ecce nos mittite, jubete, impellite. Nostrum nemo revera sibi natus. Et omnes vtique DEI Gloriam, Ecclesiæ amplificationem, Ordinis decus, Animarum salutem vrgere porrò etiam ex Regula sanctissimè obligantur.

QVOD ad me attinet, totus per DEI
XXV misericordiam propendens in Pietatis & Doctrinæ studia; summèque aversus ab omnibus officijs, quibus præsertim salus illigatur animarum, abdicato jam (id quod Romæ obtinueram) *Provincialatu*, dabo me perquàm lubens in curam & sollicitationem, tum pro conversione ad Ecclesiam,

tùm pro Reformatione intra Ordinem ex vestro nutu & imperio. Ac licèt minima de memet ausim in quibusvis polliceri; ita tamen res Curiæ & Regni sunt comparatæ, vt Augustissimæ Reginæ Matris, omniumque Magnatum tutela ac studia in vtriusque *Missionis* opus possint, immò debeant sine temeritatis nota expectari. Præmessum intelliges, REVERENDISSIME PATER, per Acta Capituli nostri Provincialis. Augustoriti Pictonum illud celebravimus successu etiam vltra spes & vota felici. Et hoc à DEI, CHRISTI, CHRISTIQVE Matris benignitate. Rebus intra firmissimè compositis, & per summam pacem; delegati è Nostris circiter *triginta*, tum vestto jussu, tum ad aliorum postulationem in Hyberniam, & Inferioris Germaniæ Provinciam: apud Burgundos, Aquenses, Thosolates, aliaque loca. Omissa pro nunc Polonia. Sed Poloni tres, duoque Vestrates Itali partim in Novitiatum, partim nostra in Collegia dimissi. E duobus quos anno proxi-

VICARIO GENERALI CARMEL.

mè elapso miseram in *Orbem novum.* rediit alter cum Epistolis; quibus patet Præfectos, & Accolas Insularum aliquot in America è Nostris postulare; qui Sacra, & Religionem inibi procurent, Messis equidem ampla, jamque plures ad CHRISTI & Ecclesiæ Fidem alii ex Hæresi, ex Gentilitate alij & immani barbarie, Nostrorum ministerio sunt traducti. Vestras quoque ante mensem *Commissiones* recepi, & quidem longè quàm optarim ampliores. Quis futurus sit illarum vsus paulatim experiemur. Festino enim lentè, metuoque plurimùm tùm onera, tùm impedimenta. Deero tamen nunquàm, si DEVS juvat, illius gloriæ, Religionis zelo, vestris demum imperijs. His igitur ità constitutis leges præscribat V. R. P. pro vniversis, autoritatem statuat stabilem, & inconcussam; experietur profectò me ad omnes illius nutus (quod rescripsi sæpiùs) & paratissimum, & fidelissimum. AVGVSTORIT. PICTON. X. KAL. AVGVST. AN. MDCXLVII.

GENERAL CARMEL.

REVERENDISS. PATRI
MARIO VENTVRINO,
ORDINIS CARMELITARVM
Generali.

PROVINCIALATVS TERRAE SANCTAE XXVI

DEI Instar munificentissimi, prævenit me Reverendissima Paternitas Vestra in benedictionibus dulcedinis. Dignitatem conferre, & eam non vno privilegio singularem: & ex condicto cum Illustrissimo ac Reverendissimo, meiq; fateor quondam amantissimo Fagnano: & quidem Gallo, & absenti, & nihil quicquam aut merenti, aut cogitanti; rari vtique beneficij condimenta sunt, vndequaque rarissima. Habet prætereà *Terræ hic sanctæ Prouivcialatus* & in re, & in nomine nescio quid genio meo simulque vitæ instituto, studijs, pietati, negotijs, ita

idoneum, vt ſi aliud olim oblatum munus abs felicis memoriæ Innocent. X. excipiatur, nihil fingo poſſit aut amabilius, aut præſtabilius. Gratias porrò referendo par cùm minimè ſim, habebit me deinceps optimus Pater ex juſtitia & hoſtimẽto, quem habuit hactenus ex obedientia & animi affectu, per omnia & in omnibus addictiſſimũ.

REVEREN-

XXVII.

QVOD ea attinet de quibus ad me ſcriptum fuit, paucis *reſpondebo*. Quâ debeo inprimis ſummiſſi animi reverentiâ litteras accepi, & inſinuata in illis à Veſtra Reverendiſſima Paternitate mandata. Parebo in omnibus ſi minùs cum induſtria, ſaltem cum pari affectu, cura & ſinceritate. Non quòd non valde formidem ex portu vitę trãquillæ admodum honorę & innocentis, revocari ad *negotiorum* fluctus ac tumultus. Sed ſtatim atque intellexero quid velit à mea tenuitate ſumma in Religione, quam, vovi autoritas veſtra; intimum pectus aperiam, & vt Generali Sapientiſſimo, & vt Patri peroptimo. Illud imprimis non le-

vis momenti quòd ætas jam propemodum *ſexagenaria*, res Religionis & Reformationis per eas artes, quas modò tandem intuentur oculi veſtri, à decennio plurimùm labefactatæ: diſſidia paſſim ſuborta, ſcandala nimis hîc aut illic publica, non parum ſudoris ac laborum videntur intentare. Verùm cum DEI & DEIPARAE auxilio, pervincet omnia veſter zelus, veſtra ſapientia, veſtra generoſitas.

GENERALI CARMEL-

XXVIII

Certè montes qui ad primos quoſque tactus fumigant, diſcrimen inducunt non obſcurum veſtros inter ſubditos. hinc rebelles, inde obedientiſſimos. Vidimus per decennium inaudita & prædura ſub veſtro, veſtrique prędeceſſoris nomine. Patiẽter interim ſiluimus, veſtræ nimirum vmbrã autoritatis reveriti cultu ſemper religioſo. Qui verò obliquè & perperam veſtro nomine, veſtra autoritate non vno malo tamdiu ſunt abuſi per quam injuſtè: ſtatim atque ſentiunt illa ſe juſtiſſimè deſtitui, nullo ex nobis id cogitante, quod ritè novit veſtra Reve-

rendiſſima Paternitas ; metuunt ne, quod par eſt, in Ordinem redigantur. Ideoque fumigant, incandeſcunt, rebellant, minitantur, obedire parum aſſueti. At revera omnis eiuſmodi conatus vapor erit ad modicum parens.

REVEREN-

Hoc intereà vnũ porrò neceſſarium. Diligenter agnoſcat optimus Paſtor vultum pecoris ſui, & diſtinguat inter pingue & macilentum. Ne timeat ſumma æquitas veſtra à facie parvulorum, quorum ſagittæ fient ſemper plagæ eorum. Perſeveret zelus, quem in veſtra Reverendiſſima Paternitate excitavit tandem Spiritus Patris noſtri & Protogeneralis Eliæ. Conſtet nil inconſideratè actum, vbique ſecura erit haud dubiè DEI protectio & Regia hîc Lutetiæ autoritas vobis pridem per Epiſtolas eſt oppignerata. LVTET. PARIS. POSTRID. KAL. IVN. MDCLVIII.

RE-

REV. ADMODVM PATRI

HIERONYMO ARI,

Ordinis Carmelitarum

PROCVRATORI GENERALI,

Sancti Officij Qualificatori, &c.

RESPONS
AD DIVER
XXIX
SA

EXCEDIT vestra, REVERENDE ADMODVM PATER, gratitudo obsequia seruitutis meæ. Neque deero vnquam pro mea tenuitate quin res tum Ecclesiæ, tum Monastices & sustineam vt debeo, & promoveam quantum dederit Supremum Numen. Eget vtrumque, fateor, in hisce Cisalpinis, auxilio longè nostras vltra vires. Nec satis juvamur non à Fratribus modò, sed & à Patribus; quò simus omnes quasi Civitas munita

REVER. contra circumſtrepentes vndiquè vt Gentem noſtram ſi minùs deleant & extirpent, infringant ſaltem & affligant. Feciſſe me ſemper quod meum erat, *tria* in ceteris conteſtantur, quæ ad vos referri par eſt.

Apologiam Eruditiſſimi P. Theophyli Raynaudi pro noſtro Scapulari Mariano, curavimus, vt juſſiſtis, typis hîc mandari, & petita Exemplaria tranſmittimus. In diſcordia nimis famoſa PP. è noſtro Carmelo Diſcalceatorum, ſolus adfui Commiſſario Generali Italo: fuiſſentque res tunc compoſitæ, Deo favente, ſi tumultus domeſtici per publicos non recruduiſſent. Vltimum fuit, vt de Reverendiſſimo Dominicanorum Generali Turco nihil dicam, lis xxx. Iamdiu agitatam, nec credo brevi finiendam, ad me nil eiuſmodi cogitantem detulere Ampliſſimi Senatores. Verumenim dicam, vt mortis eſt, ſinceriſſimè; parum abfuerit, quin iſtiuſmodi vniverſa miſſa faciam. Non quod per Christi gra-

tiam desit zelus Patris nostri Eliæ, pro Domino DEO exercituum: sed quia alijs Ego reverà sum occupatissimus, & qui plus deberent juvare desunt quammaximè: Quia nihilominus vrget nos charitas CHRISTI, super istis vtriusque apud vos Cathedræ oracula expecto. HIERON. ARI XXX

Cetera componi tantisper non erit adeò operosum, si præsertim licet per motus civiles. Hos equidem summopere reformido, quia non solùm silent leges inter arma; sed languescit imprimis pietas,

Nulla siquidem fides, pietas-ve viris qui castra sequuntur.

Disciplina præcipuè Regularis non de splendore tantùm, sed & de firmitudine eo tristissimo tempore plurimùm deperdit. *Qui certaminibus delectantur*, inquit appositè vt cetera Augustinus, *alienantur à pace, & summis difficultatibus implicantur. Initium enim summæ difficultatis est bellum, atque contentio.* Vnum nobis bellum cum Satana, cum carne, cum Mun-

REVER. di illecebris. Hic præliatur innocuè, & victoria refert triumphos celo dignos. O ea nobis DEVS annuat! Interim me, meaque iterum atque iterum offero, meque vestris precibus etiam atque etiam commendo.

LVTET. PARIS. IDIB. OCTOB. AN. MDCL.



PROCVR. GENERALI

R. ADMOD. PATRI

MATTHAEO ORLANDO

Procuratori Generali.

GRATVLATIO XXIX

IAM Ex officio & affectu misi Epistolam gratulatoriam ad vestram admodum Reverendam dominationẽ, super sua creatione in Procuratorem Ordinis Generalem. Debebat id quidem vestris meritis Sanctissimus, sed factum nomenclatore nostro Reverendissimo, lætor plurimùm. Lætitiam auget spes & sponsio vestræ Epistolæ, quæ suum zelum promit ac pollicetur pro ordinis amplificatione, Reformationis instauratione; nostræ provinciæ Turonensis pace. Dignum profectò opus vestra omnium industriâ, curâ, justitiâ; si quid in conatu tam necessario potest mea tenuitas, valent preces, illam offero vobis magna scin-

ceritate, iſtas DEO optimo maximo; à quo omnia vobis proſpera voveo & & opto toto animi affectu. LVTET. PARIS. PRID. KALEND. MAII. MDCLIX.

REVEREN-

RELIGIOSISS. SAPIENTISSIMOQ;

P.IO.BAPTISTÆ DE LEZANA

CARMELITARVM

Generalis Aſsiſtenti, &c.

SYNOPSIS HISTOR. CARMELITAE XXX

REceptis, luſtratiſque *Annalibus* tuis, REVERENDE ADMODVM PATER, ſuſpenſo hæſi animo; addubitans ſanè vehementer ſumpſeris ne, an dederis Carmelo noſtro per id opus, decorem tamdiu deſideratum? Nemo equidem potuit te feliciùs, pietate nimirùm, doctrina, fidelitate maximè conſpicuo. Quæ *tres* animi dotes, Scriptorem Hiſtoriis referendis idoneum

præſtant. Eòque magis creſcit laus tua; quòd tibi laborandum fuit circa Ordinis noſtri primordia; ipſa annorum vetuſtate, rerum confuſione, & opinionum diverſitate nimis quàm obſcura; Fruebatur jam Orbis Chriſtianus præclaris *Lucubrationibus* tuis; ſive cùm labentem Diſciplinam per Reformationis conatus ex Patrum ſententijs egregiè inſtauras: ſive dum Quæſita Regulariũ ſeu Controuerſias, expẽdis & enucleas ad miraculũ. Tertius verò hic labor revera immenſus, vnum id poſtulat; vt alter mox Tomus vltimam Carmelitarum Hiſtoriæ manum imponat. Diu eſt, MI PATER, ex quo ipſe tùm præſertim cùm in Belgio agebam; de conſimili Hiſtoria in compendium reducenda, cœpi cogitare. Inclinantem ad ea animum retinuere valetudo, conciones, ſtudiaque alia diverſiſſima. Iam lætor firmioribus humeris ceſſiſſe tantam ſarcinam. Perficies & quidem longè beatiùs, ſi accedit ordo & latinitas, quod à me vix affectum; ſoli ſi quidem primi du- IO DE LEZANA

ctus & lineæ, mihi tunc adumbratæ.
REVEREN. Rudes vt erant, ad te mitto. Subdoque difficultates nonnullas ea ſuper ipſiſſima materia; in quarum ſolutione meum te, REVERENDE ADMODVM PATER, Apollinem compello. In ſumma, vt aliud nihil à me efficiatur; habebis ſaltem pro mutuâ inter nos amicitiâ, & gratitudinis erga te meæ pignore, & emendabis veræ Antiquitatis Carmeliticę Summulã, quam deinceps adumbro.

I Ac primùm quidem haud iniqua postulatione requiro, quando ex Iuris norma melior eſt conditio poſſidentis; vt quotquot nobis invident avitæ nobilitatis decus, ab eiuſmodi *poſſeſsione*, quam ſubſecuta ſeculorum ſeries, Patrum perennis Traditio, nec non benè multa Autorum ſuffragia vendicant Ordini Carmelitarum; nos vel ratione dimoveant, vel autoritate. Vrgere enim, vt renunciemus antiquiſſimæ proſapiæ, ſtemmatibuſque nobiliſſimis ſine cauſa, ſine titulis, ſine Rege, ſine Lege; quia dumtaxat ea

ſcilicet nobilitas bilem commovet ſuperciliosis quibuſdam, quis obſecro patienter ferat, tametſi patientiſſimus? IO. DE LEZANA

II Porrò Adverſarios ſolida omni ratione deſtitui, nemo eſt qui neſciat niſi Hiſtoriarum ignarus: vel cui nomen Autorum, & fama veritatis prætextu tam falſa, quàm præſumpta opinione impoſuerit. Audio quidem iſtud à nonnullis iactari, haud ſecùs quàm telum amentatum. Apud priſcos Autores, qui rem Monaſticam monumentis apprimè conſignarunt; mirum, inquiunt, de Succeſſoribus Eliæ *ſilentium* de Carmelitis mentio nulla. At præterquàm quòd eſt inanis probatio, ex meris negationibus nihil concludens, vt perbellè diluit Vir emunctæ naris R. P. Petrus Vvaſtellius, in Apologetico pro Ioanne XLIV. ea quotquot ſcribere non verentur, vel invidiam produnt, vel ignorantiam. Cùm, vt infra latiùs inducam, pluſquàm viginti Patres Eliam diſertè agnoſcant totius Religioſi Inſtituti Patriarcham.

REVER. Vsque-adeò vt tametsi id Carmelitarũ nomen, primis Autoribus expresè nequaquàm vsurparetur; res ipsa tamen, hoc est Monachi in Carmelo: iuxtaque illius hinc inde, maximè versùs Ægypti confinia, vitam viventes Eremiticam, Cœnobiticamque ità clarè memorentur; vt cœcus sit, qui non advertat. Indolendum certè quod nonnulli alioquin perspicaces Viri, in isto Sole cæcutire velint: & oculos habentes, nihil vtiquè videant.

III Alii videntur de familia nostra iam triumphaturi; cùm Scriptorum agmen instituerint, qui *contra* Carmelitarum Antiquitatẽ, signa explicent novitatis. In his Primipilus credatur de facili, magnus revera Annalistes. Robur ingenii, & nominis gloriam minimè detrecto. Moneo solùm, malo id fato contigisse. Quas ob causas, audaciùs alij. Id verò vnum deprecor ego, vt ne Scribentis autoritas rerum scriptarum faciat præjudicium. Liquet profectò (quod præfiscinè dictum velim) hîc & alibi frequenter; veritatẽ in im-

menſo, difficillimoque Opere aciem illam aquilinam effugiſſe. Enimverò præiverunt; vel ſubſcripſerunt alii non pauci. Ita eſt. Sed fluxit error per manus, ac præiudicia tot, tantiſque contranitentibus glorioſior victoria; & quando quidem libet mutuo conflictu decertare, agmen agmini opponendum. Sanè enim veritatis Carmeliticæ partes tuentur *Autores*; nec numero, nec verò dignitate inferiores. IO DE LEZANA

IV HOSTILEM igitur impetum ſuſtinent ac *retundunt* Salianus, qui Veteris Ævi Annales contexuit, vt Novi Illuſtriſſimus Cæſar. Iam antea Orbis noſtri Gallici miraculum, nominatiſſimus Genebrardus. Et confuſo Catalogo, Hieronymus Platus, de Bono Statu Religionis: Salaxar, in Proverbia: Sanchius in Reges: Valentia, Suares, Ieſuitæ propemodùm omnes; Trithemius Benedictinus, Carthagena Franciſcanus, Vraldus Chartuſianus, Morigia Hieronymianus; alijque complures laudati apud Vvaſtellium, & Thomam à

REVER, IESV in Apologetico, & Regulæ Commentario.

Sed nec contemnendi è *Nostris*, quippe in Ecclesiæ Militantis ipso etiam summorum Ducum suffragio commẽdatissimi. Istius generis Thomas Vualdensis, Mantuanus Baptista Hispaniolus, Ioannes Bacconius, Philippus Ribotius, & ceteri. Qui licet domestici, in re itidem domestica audiri meritò debent. Plus enim (vetus verbum est verissimum) sapit stultus in domo sua, quàm sapiens in aliena. Parcit tamen calamus Nostros sigillatim recensere; & eorum fidem inculcare; vt advertam ex Adversarijs *vetustiorem* vix vllum produci S. Antonino Florentino; cujus fides qualis sit in Historijs momenti, sciunt Historici.

Iam ex hujus Consectaneis, vt taceam quòd bipartito agmine dum contra nos, *secum* ipsi pugnant: his Ordinis initia ad Innocentij III. illis ad Alexandri III. tempora referentibus; tales mihi non habentur; immò nec æquis iudicibus, vt disiecta & quasi pri-

mo impetu cõculcata Nostrorum acie, Carmelitanæ Familiæ antiquitatem simplici halitu exsufflent. Vnius Pythagoræ privilegium extitit suos apud adulatores, vt asserenti sine dubietate credatur; quasi, αὐτὸς ἔφα. Inde-adeò certissima conclusione manet, nullâ legitimâ viâ posse Carmelitas deturbari abs suæ Antiquitatis firmissima possessione. IG. DE LEZANA

IAM hanc ipsam contra Oppugnantes rebus addicere necessarijs pretium operæ est, nequaquàm tamen puto operosum. Quod opus vt faciliori, tutiorique *methodo* aggrediar; Rhetorices, Logicesque auxiliares copias vocans ad subsidium; argumentationem agens olim cum eruditissimo cerebro, confeci in hunc propè modum. V

Cùm Autorum indubitata relatione constet, *Eliam* Thesbytem totius Monastici Instituti primarium esse Autorem; debet dubio procul in aliqua Religiosorum jam existentium Familia, ejusmodi hęreditaria successio agnosci. Atqui soli Carmelitæ, aliorum nulli,

illam Eliæ hæreditatē sibi vendicant.

REVEREN. Igitur in solis Carmelitis, eiusmodi successio agnosci debet.

Rationis, & argumenti, modo quo supra confecti indoles & natura exigit, vt *probem* primò Successionem Monachismi ascendere hinc ad vsque Eliam in veteri-Lege. Deindè hanc Successionem rectâ lineâ à Capite & Protoparente Elia, descendere ad nos Carmelitas in Novâ.

VI NOSTRAE igitur hujus Thesis probationes sunt. 1. *Patrum Autoritas*, qui fermè omnes asserunt Eliæ Monachismū in Carmelo. E *Græcis* S. Athanasius in vita S. Antonij. Sozomenus L. xiij. cap. 13. Palladius c. 2. Vitæ Patrum. Historia Lauziaca c. 15. Basilius Lib. de vita solitaria. Nazianz. ter, si rectè memini, quaterve facit in suis Orationibus mentionem de Elia & Carmelo. Nissenus de Virginit, cap. 6. Epiphanius Hæresi 58. Chrysostomus passim, præcipuè Lib. 11. de Virgin. & Lib. de Comparat. Regis, & Monachi. Theodoret. in Hist. SS. PP. Cyrillus in 1v. Re-

gum ca.8.Antiochus Hom.103.Theodorus Studites Orat.de S.Platone.Græcorum alii innumeri, IO. DE LEZANA

E *Latinis* Ambros. cap. 2. de Elia & Iejunio. Item 46.de fuga seculi, Serm. 2. in Psal.118. Epist.82. L. 10. Cassian. lib. de Habitu Monach. c. 2.Hugo Victorinus Serm. institut.Monast.Haymo in Evangelium Dominicæ 3. Adventus. Theophilactus in illud, *Et ipse præcedet, &c.* Beda in 1. Lucæ. Chrysolog. in Serm.88.de Ioanne Bapt.Locis demum innumeris Hieronymus; qui vnus omnium instar esse debeat, vtpotè omni exceptione major. Quę turba bone Deus! Eliæ palmam defert Monachismi; quàm illi in manibus infringere postremis seculis nati pro Patribus νήπιοι, temerè attētant. II. Adde plusquā duodecim Patres, Eliç tria vota; Paupertatem, Castitatē, & Obedientiam probare & approbare. III. Adde ex Neotericis plerosque, qui Monachismi originem disceptant. IV. Adde ipsam Eliæ, & Elisei vitam; quæ in Sacris-Paginis, verissimam id-

eam Inſtituti Monaſtici repræſentat ?

REVER. VII

V. Probatio ducta à *ratione*, ſic ſe habet. Si ex D. Pauli Effatis, omnia apud Iudæos contingebant per figurã; cedo veritatem ejus rei, cujus ea (quam dixi, & Libri Regum referunt) Vita tunc Monaſtica Eliæ & Eliſei, vmbra fuit & figura? Videmus ſolitudinem, legimus ſucceſſionem & miracula in Carmelo: agnoſcimus, cum Rege Ochozia, veſtis minimè vulgaris diſcrimen; cernimus in *Cellula* lectulum, menſulam, candelabrum, modicam ſuppellectilem. Audivimus Eliam diverſis ſuorum Familiis quaſi vale dicentem, diſcipulorum obſequia, & Eliſeum veluti legitimum Succeſſorem, reliqua demum Monachis propria; quæ vniverſa in primitio illius Novitio, clariùs lucere teſtatiſſimè narrant Scripturæ. Nec ideò tamen Monachiſmi vmbram volumus confiteri. An ergo pars non vltima Legis Euangelicæ, promiſſa non fuerit in Veteri-Lege: & nec adũbrata, quomodo nulla non Novæ-Legis Inſtituta? Aut ſi adumbrata, vt re-

vera fuit; non fuerit expleta? Fungi ergò erunt Religiosi omnes, terræque quod dicitur, filij; nullam cum Israelitica Ecclesia habentes affinitatem, nullam proindè in Catholica stabilitatem. Premere hoc genus argumenti, cuivis erit proclive. Manet ergo inconcussa veritas, Eliam Monachis dedisse initium in ipsa etiam Veteri-Lege. IO. DE LEZANA

VI. IAM ejus directam, eamque immediatam *Successionem*, non alijs deberi, quàm Carmelitis; probationes quæ sequuntur ita suadent, vt nisi obstinatissimum possint, opinor, persuadere. 1. *Traditio*, per manus ad nos vsque hæreditaria. 2. Fermè recurrens, *immemorialis possessio*. Quando enim intruserunt se Nostri in ejusmodi possessionem, noterit mihi Adversarij. 3. Expressus *Populi consensus*, & saltem tacitus aliorum Ordinum; in queis nullus, originem directè accersit ab Elia. 4. Nomenclatura Carmelitarum, quæ cum Carmelo, locisque circumjacentibus convenit. 5. *Festivitas celebris*, VIII

REVEREN. ſpecialiſque Eliæ Patris noſtri ac Patriarchæ. Et illa quidem præſcripta iam olim in Ordinis noſtri Breviarijs tam antiquis, iuxta vſum Eccleſiæ Hierosolymitanæ (quæ inſcriptio ô nunquam deleatur) quàm novis, juxta vſum Romanæ, & reformationem Cõcilij Tridentini. 6. *Autores* permulti tum exteri, tum domeſtici, qui jurant in hanc veritatem.

VII. Adverſarij nullum Corpori no-
IX ſtro *Caput* conſtanter fingere queunt. Nam & Albertus Patriarcha, Regulam ſcripſit Fratribus iuxta fontem Eliæ habitantibus; & ijs quidem id enixè petentibus, quod patet in ipſius Prologo; ergò Carmelitæ præiverunt Alberto. Et Aymericus, etiam aliena confeſſione, memoratur Eremicolas hinc inde in vnum collegiſſe. Si non erant, quomodo collecti? Si collecti, quomodo noviter inſtituti? Id quod non eſt, colligi non poteſt; ſiquidem ex nihilo fit nihil. An colligere, inſtituere eſt; cùm iſtud dicat initium, illud additamentum? Inſtituere ſit primò forman-

tis? colligere secũdò sit quasi reformã-
tis? Ergò nec Aymericus, nec Albertus Autores nostri & Institutores. Ergo vel nullus, vel Elias. Si Elias, stomachus & ilia rumpuntur Adversarijs. Si nullus; inauditum certè est, ne quid dicam acerbius, corpus haberi ἀκέφαλον., in luce inquam Ecclesiæ, Religionem absque vllo Institutore. IO. DE LEZANA

VIII. Probatio, quæ herbam porrigere cogit Anti-Carmelitas; præsertim si benè ac probè Catholici, & Matris Ecclesiæ filij non adulterini, Dogmata sunt, Decreta & Bullæ *Summorum Pontificum*. In illis præcipuis Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Illi enim omnes disertis verbis Eliæ & Elisei hæreditariam successionem, Carmelitis authenticè confirmant. X

IX. *Martyrologia* Molani, & Ioannis Gilemani Monachi Regularis in Rubea-Valle. Illius relatio extat, & legitur *publicè*. *Istius* apud me privatim, luculentissimis verbis; decimo-quinto *Iulij*, *raptus Eliæ Prophetarum*, &c. XI

X. Tandem ne deessent divina è ce-
REVEREN. lo testimonia, præter alias *revelationes* plurimas; Beatissima Virgo Ioanni xxij. P. M. revelavit Carmelitarum initia, ad Eliam & Eliseum esse referenda.

XII XI. Miraculum certè mihi est, quòd tamdiù, totq; inter Adversarios fermè sine fulcris *duravit* Ordo Carmeliticus.

SED quæret nonnemo, quanam *serie* hæc Eliadum successio propagata fuerit? Fateor liquidò responderi non posse sine diutina meditatione, lectione infinita. Interim dum illud pensum, MI LEZANE, absolvis insigniter; olim attentiùs ego, istos mihi *Genealogiæ gradus* descripsi. Elias, Eliseus, Filij Prophetarum; qui meo judicio, à Rechabitis distinguendi. Assidei, Esseni; quicumque fuerint isti: tandem Apostolorum tempore Viri Religiosi, vt narrat Ioannes XLIV.

Hinc circùm *Carmeli-Montem* Viri tam Cœnobitæ, quàm Eremitæ. Omnes enim toto passim Orbe, & vbique solitudinum; puta Basilium, Hieronymum, Pachomium, Macharium, Ro-

vidus

manum, &c. præcisè Carmelitis annumerare, propè dixerim ineptire est. Quamquam priscos Ascetas illos, omnes prorsùs Filios fuisse eiusdem Patris constanter asseram, non tamen eiusdem *Matris*. Nam Basilius, Hieronymus, ceterique id genus secuti quidem sunt, citra controversiam, vestigia Eliæ & Elisei: sed novas ipsi *Colonias* instituêre. Sicque sunt revera è Carmelitis, haud tamen strictiùs Carmelitæ. Quo prorsùs modo Cistercienses, Camaldulenses, Olivetani, Silvestrini, similesque Filij sunt magni Patris Benedicti; at quasi ex alia Matre. IO. DE 'LEZANA

Secuta est deinceps collectio Aymerici, Regula Alberti, Generales Latini, migratio in Europam, propagatio: & Mendicantium Ordinibus adnumeratio, cum approbatione. Indeque Superiorum Generalium ex Latinis, perpetua Successio; adnotata cautè & diligenter, Schismatum in Ecclesia distinctione.

HABES paucis, COLENDISSIME IVXTA ET CHARISSIME, quo filo meditabar XIII

nostræ ordiri telam *Historiæ*; si DEVS, REVEREN- Præpositi, Negotia, Vires permisissent. Sed Opus non est Poëtæ illius, qui pede innixus in vno bis centum fundebat versus. Olei plenum est, immò & aleæ; quam subis, sustinesque pari, vt præfabar initio, pietate, doctrina, fidelitate. Felix qui proponens, simulque imitans Majorum sanctissima exempla, & scribenda facis, & facienda scribis. Perge porrò & facere, & scribere: & imprimis amantissimum tui, redamare. Obscura quædam mitto Corollaria, quæ facem & lumen à te petunt. Vale, & iterum Vale. LVTET. PARIS. XII. KALEND. MART. AN. MDCXLVI.

PHILIPPINO

REV. ADMODVM P.

IOANNI PHILIPPINO,

PRIORI CARMELITARVM

S. Martini in Vrbe.

PErveni tandem in Gallias, REVERENDE ADMODVM PATER, amicos omnes reperi amicissimos. Referendo Italiæ vestræ miracula, nihil mihi fuit antiquius; quàm optimi mei Philippini dotes, generositatem, benevolentiam passim commemorare. Quid ni fecissem? Manus referebam, vestris beneficijs plenissimas. Pudet vicem non rependere. Sed extra Italiam, quid si, vobis credimus, aut rarum, aut charum? Munuscula è nostris Museis credo non dedignabere, quandoquidem ingentis affectus & sinceri animi mei μνημοσύνια. Effectus non ver-

REDITVS IN GALL. XIV.

REVEREN. bis dare sueto, fidat V. P. me ad omnia pro Religionis decore, & Reformationis incremento paratissimum. De publicis nihil scribo, Dominus providebit.

XV Ceterùm misi in Hyberniam duos è Nostris, res omnes exploraturos. Vestræ erunt partes, aliquas si placet, commendatitias Epistolas in eam Insulam Româ per Nostrorum manus, ad Illustrissimum ibi Nuncium transmittere. Iubet sanè Numinis Providentia, illi vt præcipuè fidamus. Verùm adeò minimè despuit secundaria auxilia, vt legem scribat ipsemet, sed stylo Hominis: & brachium DEVS neutiquã admoveat, nisi & ipse Homo moverit manũ. Quid verò in tanta operositate heremus otiosi? Vivit adhuc Parens noster Elias, & degeneres Filij veterno emorimur. Illi flamma vice animi, conceptio, natalitium, lac, vita, spiritus, verba, turbo, ignis omnia. Ita divinum Elogium; *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat &c.* Quanam ergò infelici sorte,

ad DEI gloriam, Ecclesiæ splendorem Ordinis Nostri amplificationem nive, gelu, glacie frigidiores plerique comperimur? Non ita Primogenitus noster Eliseus, qui Patris Eliæ pallio obsistentibus aquis in Iordane, repetit ictus, magnoque animo exclamat; *Vbi est* DEI *Eliæ etiam nunc?* O vtinam insit omnibus nobis! Adsitque in vniversis, quæ nostras operas procurant in antiquissimi Ordinis restaurationem. Aves verò; SPECTATISSIME PHILIPPINE, decus illud præcipuum; vt pro Carmeli restauratione, nihil non pertentetur. Eò collimas insigniter, calcarque admoves vt eo in stadio certatim decurratur. O æmulemur vtinam! nostroque ævo Carmeli decor magis efflorescat! Ita voveo; tibique, donec pergis sic ardenti zelo rem Carmeliticam promovere, ex veteri ritu ac formula, animos Eliæ convoveo, & me totum sincero affectu devoveo. LVTET. PARIS. KAL. IANVAR. AN. M. DC. XLVI.

PHILIPPINO

REVER,

R. ADMODVM P.

ANGELO PIO CHIAPPANO,

CARMELITARVM INSVBRIVM

Provinciali.

AMICITIA XVI

EGo-ne obliviſcar vnquàm tui, CHIAPPANE DILECTISSIME: cujus tam prolixa benevolentia, gratiſſimi animi mei affectum & Mediolani, & Romæ obſtrinxit ſibi, vinclis ſanè pluſquam adamantinis? Non fero querelã; iniqua eſt. Nam conceſſæ vel à Natura raræ dotes tuæ, ſic primo occurſu, & quaſi impetu, intimis hæſcre præcordijs; vt meorum teſtis votorum, totus Carmelus extiterit. Valida amicitia tardè nectitur, vera reſolvitur nuſquàm; gluten quippe habet DEVM ipſum, qui aliud ab amore & charitate Nomen & Elogium vix captat. Vt ve-

rò ſemel meum inſedit pectus,perdurat qualis in Emblematis pingitur. Ætate ſemper florida, ſerena fronte, aperto ſinu; per hyemis, æſtuſque inæquales vices æquè virens, adjuncto tandem lemmate pulcherrimo; *Procul,& Propè.* Odi verò ſummè amicitias,vel ex Aula,vel à Plebe. Iſtæ enim ſordidæ ſemper, illæ nunquam non æquivocæ;pleræque aut fallaces, aut inſidioſæ. Appoſitè quidem & concinnè,ille neſcio quis; CHIAPPANO

Qui mel in ore gerit,ſed retrò pũgere novit;
Eius amicitiam, nolo mihi ſociam.

Sed quàm verè alter, magni Vir cerebri Tacitus; *Amicitia inter Homines infida, & rara.* Inde-adeo Sacri Codices noſtri ſeriò monent vnumquemque, caveat ſibi à proximo ſuo, immò nec fratri fidat nimis; *Quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.*

XVII

VT ſcio te, MI PATER, his in rebus artificem peritiſſimum;exhibuiſti non dubito, pluſquam ſemel eloquentiſſimis per totam Italiam Concionibus

tuis tabellam illam egregiam; quâ divinus Concionator germanam amicitiam graphicè pingit, nativisque coloribus secernit ab adulterina. Præludit retractans quæ mox attingebam, Amicum de facili minimè admittendum: admissum semel, perpetuò asservandum. Hinc egregio discrimine Amicos statuit tres larvatos, totidem sinceros. *Est enim* primò *Amicus secundùm tempus suum*, auceps potiùs lucri, quo nihil infidelius. Est deindè *Socius mensæ*, quem, vt hirundines frigus, sic penuria à nostris Laribus expellit. Tertium genus pessimum, ex optimo vino acetum creat acerbissimum. Amicum nempe subiungit, *qui versus ad inimicitiam, odium, rixam, convitia denudat*, Heu tempora, heu mores! Quandonam & vbi locorum non viget hæc pestis, & pernicies Reginæ virtutum Charitatis? Rara avis, MI CHIAPPANE, amicus sine fuco, aut fumo. *Fixum, fidelem, fortem*, exigit Sacra Pagina. Si ejusmodi reperitur (quod θαῦμα τῶν θαυμάτων) habendus est vt *coæqualis*, æstimandus

REVER, (margin)

vt *thesaurus*: præferendus *auri, argen-tiq;* gazis vel pretiosissimis. Quid plura? *Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum; qui timet* DEVM*, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius*. Grande præmium divini timoris (à quo omnis saipentia & virtus) amicus. CHIAPPANO

ITA vivamus OPTIME PATER, ita amemus. Amicitia vt plantarum genus ex Oriente advectum, non crescit in omni solo. Pectus quærit, quale tuum est, MI ANGELE, ad omnia magna à DEO, à Natura, à Studio, subactum, & excultum. Si quid in me simile offerrem lubens. Sed qualemcumque animum meum, non occulto tuorum meritorum magnete tractum, sciunt omnes: raptum ego sentio, & gaudeo Neque vim deprecor, aut catenas abijcio; quamvis mei plurimùm juris, summèque appetens sanctæ libertatis. Servitium istud amo, quia à CHRISTO & DEO vinculum exosculor. Extra namque divinam illam amicitiam, aut sine XVIII

REVEREN. illa; quid non futile, quid non vanum, & vacuum: quid non fugax, fallax; brevique, & sæpiùs vltima clade periturum? In his desino non amare, sed scribere; cum Præsule elegantissimo, sanctissimoque.

Cor mũdũ, & sapiẽs fructu virtutis alatur:
Et CHRISTI *in nostro pectore regnet amor.*

LVTET. PARIS. XIX. KALEND. MAII. AN. M. DC. XLVII.

R. ADMOD. PATRI

PETRO VVASTELLIO,

CARMELITÆ INTER BELGAS

Doctissimo.

DE SVIS VINDICIIS IO. XLIV XIX

LÆtus demum recedo in Galliam, REVERENDE PATER, ideòque lętus, quia divitem me magis ac felicem existimo, quàm cùm accessi in Belgium Quidni felicior mihi ipse, alijsque vi-

dear; quando pietate tua, & eruditione frui datum est? Quin & ditior, sed à tuis gazis, à tua liberalitate; quod vtrumque apud me æternùm erunt in maximo pretio. Antuerpiâ Bruxellam ivi, Bibliopolam quæsivi, inveni, Libros petii, pretium erui: retulit ille, adhuc Apologeticorum superesse sibi aliquot exemplaria. Sed malo fato, haudquaquam eorum impediet distractionem tuus ille sic accuratus, sic ornatus, & perpolitus Ioannes XLIV. Nam licèt nullum non moverim lapidem; vt tàm necessariæ nobis Operæ impressionem suaderem, nusquàm tamen potuit persuaderi ille Typographus Duacensis. Causatur nihil commercij cum Gallis, spem totam lucri, cui ea sorte Homines inhiant, pendere ab Hispanis; nullam verò fore, quamdiù Bellonæ furores terram ac pelagus occupabunt. Hanc remoram Mi Pater, quanto doleam cum animi sensu; verba non sufficiunt vt edicam. Testis mihi conscientia, & animus erga te meus: immo erga Numinis glo- VVASTELL.

riam, noſtræque honorem Religionis. REVEREN. Guſtum ergò dumtaxat cœpi operoſiſſimæ illius *Lucubrationis* tuæ. Sed Deus bone? quàm olet lucernam, & oleum? Quantas ibi vigilias: Sed magni ingenij, majoris judicij ſcintillas adverto? Sparſa vbique doctrina, ſubtilitas, eruditio: nec Eraſmus ipſe linguatulus, in quem tu ſæpiùs, ſtyli decus deſideret. Ego certè qui latinitati nō otiosè ſum addictus, laudo affatim: & laudarem magis, ſi non (loquor ingenuè) degenerare mihi videretur in alijs cōmentationibus, quas apud vos vidi. Ab eodem quidem ingenio, ardore & labore: Sed non ab eadem ſuada, & vigore calami. Parcat ingenuitati meæ, amor obcæcavit. Sed fac oro, obteſtorque; vt non diutiùs langueamus in illius operis ſiti, & aviditate. Si veſtri ita bovinantur, Pariſienſes officinas poſſum offerre: & impedient amici ne deſeram vadimonium.

AVDEO interim mittere quod ſtatim XX prima inſpectione voluminis tui currenti calamo imperavit *Vindiciarum* ad-

miratio, & Vindicis amor; VVASTAL.

Ergo victa jacent tandem mendacia falsæ
Hæreseos; lætum duc mea musa chorum.
Corruit & tandem errorum præsumptio vana;
Tu quoque laudis amor ficta fabella cadis.
Nam priscũ, verum, ac justo cognomine sanctũ
Pagina Vvastelli vindicat è tumulo.
Aeternos Solymæ Præsul dum vivet in annos,
Vvastelli vivent fama, decusque tuum.

Enim-vero quoniam video Calcho-Icones, apud vos accuratiùs elaborari: cogitatisque, vt vester zelus semper ardens est, præcipuos è nostri Ordinis *sanctos excudi*, distichon à me ex itinere vnicuique adiunctum, erit opinor vestris non iniucundum. Vale interim carũ caput. Et DEVM eo affectu pro animæ meæ salute precare, quo eum deprecor te vt nobis diu servet incolumem. DVACI. IDIB. OCTOB. AN. MDCXXVII.

REVEREN.

R. ADMODVM P.

NICOLAO DAMBROVOSCHI

CARMELITARVM

per Poloniam Provinciali.

PETITIS SATISFIT XXI

INchoatam ex DEI benignitate inter nos Reformationem vestram proculdubio desideria, REVERENDE ADMODVM PATER, augebunt, zelus inflammabit. Fatemur, licèt verecundè, incrementa hactenus non vsquequaque pœnitenda: sed vix à nobis præsumitur tantillæ pietatis, & doctrinæ rivos in alias Provincias derivare. Quidquid tamen nostrarum erit virium, sincera fide & devotissimo famulatu debetis expectare. Eòque magis quòd nobilissima *Polonia* nostræ *Galliæ* semper cõjuncta, novo Regij jam cõnubij fœdere sancito; & facilius, & verò

firmius commercium inter nos poteſt inire. In pignus, itinere proſpero advenere veſtri tres *Alumni*; quos delibatâ florentiſſimi Novitiatus pietate ad ſua reſpectiuè Studia deſtinamus. Neque verò gravaremur è Noſtris etiam ad vos (quod poſtulatis) commeare, tam in Reformationis, & doctrinæ opus: quàm præſertim ob vtilitatem modò Gallici Idiomatis, in Aula Sereniſſimæ veſtræ Reginæ. Verùm opus anteà eſt tum Salvis Conductibus veſtra ex parte, tum ineundi itineris notitiâ; fortè etiam præſtabit expectare Capitulum Generale, jam in annum ſequentem convocatum. Ibi affuturum me vix credo, quippe anticipavi *abdicationem Provincialatus*, longiora metuens itinera: atque hiſce in Partibus, longè ſupra vires dudum occupatiſſimus. Nulli interim operæ, aut labori parcam; vt intelligatis me vobis per omnia, necnon Reformationis negotijs eſſe addictiſſimum. Qua de re precor, certiores efficiantur veſtri Reverendi Definitores; quibus ſigilla- DAMBROSCHI

REVEREN- tim per præsentes salutem precor, meque ad Aras præsertim, toto affectu commendo; vestram in ceteris P. ADM. R. reciproco amore, & honore salutans. IXV. KAL. SEPTEMB. AN. MDCXLVII.

R. ADMODVM P.

IVLIO CAESARI MEDICAEO

MAGNI CONVENTVS

Transpontini Priori.

DE VERA REFORMATIONE INSTITVENDA

XXII

SVscepta inter nos Reformatio, REVERENDE ADMODVM PATER, grande opus fateor, multisque difficultatibus implexum. Natura quippe Hominum proclivis in vitia, non reflectit nisi perquam violenter ad optima. Accedit prava consuetudo, quæ ceu tabellæ superinductus color, vix patitur lituram. Quid quod Dæmon ipse tam invidus

vidus, quàm malignus toto obſtat niſu; metuens quæ à Reformatis Ordinibus commoda emergunt in DEI gloriam, & Eccleſiæ decus? Inde vetus Auguſtino querela; *Non vidiſſe ſe meliores ijs, qui in Monaſterio profecerunt: neque deteriores, ijs qui in Monaſterio defecerũt.* Illas revera Ieremiæ ficus crediderìs, hinc optimas, hinc peſſimas; adeò ſemel prolapſi, procul à medio ruimus in extrema: fitq; corruptio optimi, peſſima. Quàm porro laborioſum, obſcurato in ſupellectile auro ſplendorẽ reſtituere: demutatũ in veſte colorem, raparare; & lapides Sanctuarij per ſeculi plateas diſperſos, in molem ædificij poſtliminiò coagmentare! Stupet ad ſimile oſtentum, præclarus vitæ Aſceticæ Eruditor Bernardus: agnoſcitque ingentis gratiæ miraculum, quoties videt, audit-ve clauſtro incluſos *recaluiſſe igne* DEI, *convaluiſſe de infirmitate, refloruiſſe in novitate ſancta. Digitus* DEI, inquit, *eſt iſte ſubtiliter operans, ſuaviter renovans, mutãs ſalubriter non quidem de malis bonos, ſed de bonis meliores.* Si de promotione ſen- IVL. CAES. MEDIC.

tit ea Vir sanctus, quantò potiori iure
REVER. dixisset *de mutatione: longè faciliùs reperiri multos Seculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire ad melius? Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigerit, vel parùm ascendat.*

Horrendum, Mi Pater, ad hæc nimis quàm vera: nec tamen ideo statim, animis despõdendum. Potest quippe Deus fractos ex ramis, iterum insere re in bonam olivam: saltemque novos surculos vetustæ, adhucque integræ radici inoculare. Quæ porro in ejusmodi cultura Vestrûm omnium, qui ad meliora contenditis, industria esse debeat; non gravabor ex animi mei sensu aperire, quando ita Vobis cordi est. Non quòd eos præsumam erudire, qui Spiritus vnctioni multò feliciùs docendi reservantur. Sed quæ aut Maiorum institutio, aut propria suggerit experientia; breviter, & candidè adnotare pretium erit.

XXIII Ante omnia juvat vel maximè Dei, à quo omne datum optimum, summis

opem precibus implorare. Nisi enim Reformationem molitur ipse, humana omnis opera luditur. Eapropter, qui cupit seriò Monasticę Reformationi incũbere, tanti operis sanctissimum finem sibi præfigere debet, nec ad alium scopum vllatenùs divertere. Videmus enim sæpènumerò, & lugemus præclara in speciem Reformationis consilia, ad nihilum recidere. Nec cladis hujus causa frequentior, quàm aggrediẽtium *intentio* prava, læva, manca; vno verbo, insincera. Nimirum si caligat oculus ille, totum corpus tenebrescit. Quæ ex mero DEI nutu non afficis, vix perficies. Si nomen dumtaxat Reformationis ambitur, si per eius colorem seculi favor captatur: si novi conatus debentur invidiæ, vindictæ, discordiæ: Præpositorum ambitioni, Subditorum recalcitrationi, aut fastidio; vix est qui ita perperàm inchoatis, felices exitus ausit polliceri. Porrò probè affectum se ostendet, & egregiè animatum erga emendatum vitæ genus; quisquis exprimet in se se, quod ab alijs exigit: IVL. CAES. MEDIC.

ducem se dabit non tam verbis, quàm exemplis; CHRISTIque adinstar incipiet, ποιεῖντε, καὶ διδάσκειν.

REVEREN.

XXIV His velut in antecessum præstructis, vitæ melioris destinatum opus vrgeri debet, pari constantia, & prudentia; adeò vt per media suavissima, ad propositum finem omninò, favente Numine, perveniatur. Vtiquè aut nihil aggrediendum, aut agendum seriò, & vsquequaquè perseverandum. Enimverò duabus maximè vijs, promovetur tanti momenti negotium. Primùm, removenda *impedimenta*; quæ deinde juvant & præstant, introducenda. Obstant profectò sæpè & multa, & magna: apertè alia, alia per occultos quasi cuniculos. Prioris generis sunt Votorum infractio, Honorum ambitio, Doctrinæ abusus, Seculi contaminatio. Aiunt, ita enim inaudio, qui veterno occaluêre, nihil difficiliùs. Scimus nos conducibilius nihil, quàm *peculium* funditùs exuere: proculque emendare *meum ac tuum*, *frigidum*, immò damnosum *illud verbum*; *quicquid mali* & feralis est, in Monasticem *invehens*.

Haud paulominùs lethale, nimia Secularium consuetudo. Quî enim, te quæso, fieri potest; *vt illa Religio munda sit, in qua omnibus omnia patent?* Sunt & aliæ pestes, quæ Corporis Monastici valetudinem sæpiùs vel deijciunt, vel retardant. Sævum odium, quo ægræ Mentes laborant, interdùm adusque factionem. Horum æmulationes, qui aliena pinguedine macrescunt: illorum rixæ, & scissuræ; cùm tamen DEVS pacis & charitatis à nobis colatur, dissensionis nequaquàm. Scimus etenim vel minimâ *discordiâ*, florentissimos quosque rerum status labefactari. Imprimis verò tollenda de medio suspicacis animi procacitas, tetricusque nonnullorum genius; qui nec alijs fidũt vnquam, nec sibi satis constant. Nolunt intrare, volentes avertunt. Neque cautelâ minori debetis fugitare nomen, titulos, inanem plausum Reformationis. Equidem in re seria, pudere debet esse Nominales. Virtus ipsa, & probitas per se, & propter DEVM vnicè amanda sunt. Ceterùm fama DEO,

IVL. CAES. MEDIC.

REVEREN- Deique per Homines publicæ voci permittenda. Studendum itaque, non vt Reformati videamur: sed vt rectè formati simus, & sanctè instituti.

XXV Viâ sic tantisper munitâ, certas exinde duco lineas generales; à quibus nūquam aberratur sine lapsu & gravi, & turpi. *Fundamenta* sunt, cuilibet Reformationi planè prorsus necessaria; tum vt ædificetur, tum vt conservetur, augeaturque. Potiora subijcit, quam olim dedi Romæ, minimæ huius Rhedonensis Observantiæ Delineatio. Spicilegium paucis offero.

Nostra omnis fiducia in Deo sita esse debet. Numinis gloria, zelusque ingens Reformationis vallum & fossa sit: sed videndum ne ferventibus principijs, tędia succedant ac frigora. Agnoscenda summatim *tria* Monastices elementa, summè necessaria. Vitæ cultus *interioris*, per divinæ præsentiæ, orationis mentalis, contemplationis, solitudinis, silentij, similiaque intimæ pietatis exercitia. Nam & jubet Regula, simus in Lege Domini nocte, dieque

meditantes. *Oratio* ergo, vt rectè monet Basilius, *omnibus rebus debet anteponi*; vt, suggerente Hieronymo, quod faciunt Angeli in celis, *hoc Monachi* faciant in terris. Pensum nostrum istud est, immo & cōtinuum munus. Quamobrem pulchrè advertit S. Ephrem, *tempus orationis Monachi indefinitum esse*, quia nunquam non debet orare. Quæ fortaissis causa est cur in antiquis, nostra, aliorumque Regulis ac Constitutionibus; nulla meditationi determinatè hora, vt nunc fit, præfigatur. IVL. CAES. MEDIC.

Cura deinde potior nos habeat circa decorem Domus DEI, & *Officium* quod vocamus Divinum. Vtiquè opus illius est, & nostrum; vt maledictus sit omnis à quo negligenter, aut fraudulenter peragitur. Est autem Carmelitici Ordinis decus non vltimum, divina ejusmodi curare modestia, attentione, diligentia, assiduitate, vniformitate, cantu & cultu; quæ addecet DEI famulos, ac familiares. Seraphicum illud munus, quo æternum in celis Τρισάγιον, beataque Υμνωδία decan-

tatur, æmulantes. Nempe ex veteri
REVEREN- Cœnobitico ritu, veriùs ex Apostolico
Pauli instituto, & mente, & spiritu, &
ore psallendum DEO; quem hymni decent in Sion, & vota in Ierusalem. Spectat id nominatim *Carmelitas*, qui speciali elogio Prophetarum: putâ, legitima interpretatione, Psallentium Filij nuncupantur.

XXVI POSTREMVM vniversa complectens est Regulæ, ac Constitutionum inviolabilis *Observatio*. Hæc, vt dicam semel, mensura, & quidem vnica, profectus spiritalis. Si nimirum, vt loquuntur Magistri, Athleta & Pugil nostræ Militiæ Canonem servat, præscriptis inhæret, consuetudinem amplectitur: certatimque *omnes magistram Regulam sequuntur, vt ab ea nusquam devietur à quoquam*; ne destructâ semel maceriâ, vindemient eam omnes qui prætergrediuntur. Vsque-adeo vt vel minima maximi fiant, etiam si fas est dicere, impensiùs custodiantur: *Ordo enim qui negligit modica, paulatim decidet*. Nec feræ solùm immanes; *sed vulpeculæ: specie*

virtutes, inquit Bernardus, *re autem vitia vincam demoliuntur*. Quod Cæsarium movit, magnæ sanctitatis Præsulem; *vt parvas negligentias* vitandas moneret, non aliter quàm *Diaboli venena*. *Fallor, contemnenda quasi parva* altè vetat D. Hieronymus; *sine quibus, maiora constare non possent*. Adeò nihil minutum, quod DEI causâ, nutu, vel amore suscipitur: quod sanctæ Obedientiæ legibus, & præceptis imperatur; quod communis societatis, sacrique fœderis vincula nectit, ac stringit. IVL. CAES. MEDIC.

His accedit cultus vitæ *austerioris*: Reformatio namque, vti lilium, non floret nisi inter spinas: nec benè Monachus est, qui non CHRISTO in totum confixus vivit, moriturque. Delicati Milites ab hocce Sacramento exauctorantur. Nostri præsertim Carmeli Mõtis Inquilini, ex propria nominis interpretatione scientes *circumcisionem*; dura omnia, cruda, aspera amplexantes: Agnum sequi debent quocumque pergit; à cunis Bethleemiticis ad vsque altaris patibulum. Nempe vt qui, re- XXVII

REVEREN. latu opinor Nazianzeni, fame expirant, ſuaviùs olent: ita Monachus bonus CHSISTI odor eſſe nequit, niſi continuatis Pœnitentiæ macerationibus, carne ſimul & ſpiritu emoriatur.

XXVIII Verùm futuræ meſſis ſpes amplior, in nova ſemente collocanda eſt. Veritatis ſi quidem potiùs, quàm Philoſophi ore pronunciatum arbitror; ex neglectu diſciplinæ *Iuventutis*, plurima oriri in Rempublicam detrimenta. Vereque ſcriptum à S. Bonaventura, ex divinæ Scripturæ Placitis, Puerum qui dimittitur voluntati ſuę, confundere matrem ſuam Religionem. Ratio ſubjungitur notiſſima. Ætas illa haud aliter quàm teſta recens, quem primò odorem concipit, vſquè aſſervat. Novitij arbuſcula ſunt, quæ durant eo in flexu, quo primùm emollita. Conſuetudo quippe naturam format, facitque mores educatio. Et certè vix vnquam capaces vini novi reperiuntur, vtres vetuſtate corrupti. Quibus igitur inolitum eſt vitæ genus, *ſatis* ferè eſt in commune bonum, ſi abſti-

neant à nocivis, probiora laudent: inque alijs ſaltem approbent meliora Chariſmata, quæ nequeunt, noluntve imitari. Id ſi tranquillè præſtant non *tolerandi* modò, ſed & æſtimandi, & amandi; quos præſertim doctrina, ſenectus, mores inculpati, meritaque anteacta commendant. IVL. CAES. MEDIC.

Ante igitur omnia, ſi me auditis, ſeligite in opportunis, optimiſque locis; vbi præclaræ Iuventutis ſeges, majorque à Pontifice & Ceſare: à Clero, Magiſtratuque protectio eſt, & in vicinia propagatio; primùm, Tyrocinium *Novitiatus*. Deindè *Seminarium*, noviter Profeſſis in pietate & humaniori literatura ſeriò exercendis. Tandem *Collegia* vnum, aut alterum; in quibus jam virtute formati, ad ſublimiorum doctrinarum ſtudia citra virtutis jacturam, quantùm fas eſt, erudiantur. In reliquis fruſtra, & fermè vix vltra inanitatem, & oſtentationem Conſtitutiones admitti procurantur. Nam & quotidiè abortus videmus Reformationum, quia aut XXIX

nimis. aut citiùs quàm par eſt: aut velociùs, & violentiùs in alios & alios Conventus effunduntur. Virtus ſanè vnita fortior eſt. Atque vt conceſſerim, in ſingulis Monaſterijs Reformandis, vino aquam raro admiſcendam: novos, & veteres pannos peſſimè cohærere; *Conventus* tamen ſubindè Reformandos, docet experientia. Eaque methodo, vt ad novos non ante procedatur; quàm priores robur, vigorem, ſplendorem acquiſierint; ſintque Regulares numero, ætate, virtute: doctrina, maturitate idonei aliis in ſimili inſtituto efformandis. Ædificia vide, lenta manu apparantur. Corpus humanum, juſtis incrementis per ætates augetur. Terræ proventus, fruges & meſſes; ſtatis temporum intervallis matureſcunt. Si properas vltra fas, & æquum: inchoas multa, nihil conſummas. Mater illa prolis pruritu laborans, efflagitat liberos alioquin jam jam moritura: ipſo interim puerperio, fœtuq; propè ſuo enecatur. Nec ante tertium annum fructus arborum

REVEREN.

legere, permittebat lex Mosis. Locum hunc premo, REVERENDE ADMODVM PATER; quia quanti sit ponderis & pretii, sat nequit inculcari. Quid plura? Solidum virtutis decus semper, credite mihi, anteponite & doctrinæ, & famæ tintinnabulis; ἔργον παρέργῳ. *De cetero gaudete, perfecti estote, exhortamini; idem sapite, pacem habete; & DEVS pacis, & dilectionis erit vobiscum.* DEVS *autem meus impleat omne desiderium vestrũ, secundùm divitias suas in gloria, in* CHRISTO IESV. *Amen*. IN VRBE, PRID. KAL. IANV. AN. MDCXLVIII. IVL. CAES. MEDIC.



REVEREN-

R. ADMOD. PATRI

GABRIELI

CARMELITARUM

Per Germanias Commissario,

Et modò Assistenti Generali.

CARMELITICAE REFORMAT. MYSTAGOGIA XXX

POstulasti non semel, REVERENDE ADMODUM PATER, minimæ nostræ Reformationis μυσταγωγίαν. Cùm enim nulla sacrorum præsertim Hominum coalescat multitudo, sine legibus & disciplina; nostræ quoque viæ Canones, & Institutio dudum fateor elucubrantur. Verùm tantisper adhuc sub spongia, & lima. Idque *triplici* præsertim de causa. Nempe in feraci spiritalium documentorum seculo, cavemus ne per alios Scriptores toties actitatum, à nobis cum fastidio & nausea regeratur. Perquàm verò operosum

nemo neſcit, antiquis ad ſanctitatem præceptis gratiam novitatis conciliare. Noſtræ deindè Obſervantiæ genius & quaſi indoles, in iſtiuſmodi didaſcalicis exprimi maximè pretiũ eſt. At quiſnam porrò ſit, genuinus *Carmelitici* Ordinis Spiritus: quis geminatæ illius vitæ ab Elia in Eliſeum, Poſteroſque hæreditariæ character; Majores ſatis liquidò cùm hactenùs minimè tradiderint, egemus profectò ingenti Numinis gratiâ, altiori indagine, diutinâ demum experientiâ. Poſtremò quia conſilium eſt verum Carmelitam, quatenùs à celo dabitur, *efformari*; à carceribus ad metam, à primaria ipſa in Clauſtrum vocatione ad vitæ finem vltimum per omnes ætatis gradus, vitæque munia & ſueta domi, foriſque officia deducendus eſt. Conamen, vt vides Mi Pater, non anguſti ſpiritus, non levis calami: ſed longioris temporis, diutinæque meditationis. Succeſſit tamen labor, ex Numinis benignitate. Et per illorum induſtriam, qui è Noſtris, nobis adnitentibus, ejuſmo- GABRIELI

di Lucubrationibus pridem insudant; probabili iam politura typis adornantur, prima Voluminis initia. Vt verò totius *Institutionis* prægustum habeas cujus tantus vobis appetitus; ideam, & quasi ἰχνογραφίαν paucis hîc lineis à me transcribi, annuo perquàm libentissimè.

Carmeliticae igitur in minima nostra Rhedonensi Observantia Eruditionis Summa, *quatuor* omninò partibus absolvitur. Prima rudes è seculo qui venêre Neophytos, in Tyrocinio seu Novitiatu erudit. Altera qui vota emisere in Professorum Seminario roborat ad pietatem: aptatque paulatim, studijs doctrinarum. Tertia Sacerdotio jam initiatos, per diversa munia sigillatim effingit, Vltima, Domestica tradit officia; cum Appendice, seu Manuali Fratrum inter nos Laicorum. En Institutum, iam parte maxima ad vnguem elaboratum. Quanam autem ratione, qua methodo, quo-ve stylo pertexatur; aperiam (vrges enim) compendiaria Operis totius Præfatione.

Sanè

GABRIELE II

Sanè quidem omni carere pietatis sensu, adeò pecuinum est; vt nullus Homo vivat, citra genus aliquod *Religionis*. Hæc porro aliud nihil est, si probè finitur, quàm sacrum inter DEVM & Homines fœdus: ac solemne celi, terræque commercium. Sicut enim continua sunt in nos Numinis beneficia, sic nostra vicissim nunquam cessare debet gratitudo. Promanant illa in statu Naturæ, Gratiæ & Gloriæ: efficitur ista humanæ mentis cultu, voluntatis affectu, vitæ totius obsequiis. Qui hominum Cœtus coëunt, nexu votorum insolubili, vt tribus eiusmodi muneribus publico, solemnique sacramento defungantur; ij nimirum Ordines sunt *Religiosi*, seu Monastici. Quorum quidem ordinum diversitas vestem Ecclesiæ, ceu Reginæ facit polymitam; dũ per se auream distinguit, ornatq; multiplici colorum varietate. Rei huius causa, divinæ lex Providentiæ. A qua subinde suscitati rara pietate & doctrina Viri; qui quà sermone, quà opere debitum DEO cultum majori con-

stantia, ac veneratione persolverent.

REVER. Ergò pulcherrimæ, sanctissimæque varietatis fons, & origo *duplex*. Prior, DEI perfectio immensa, CHRISTI IESV prærogativę innumeræ: Ecclesię Christianę Catholicę, multiformis sapientia. Quia enim non potis est Hominum industria, sub vno vultu aut persona exprimere singulas Numinis dotes, in natura: Servatoris CHRISTI virtutes divinissimas, in gratia: Sancti demum Spiritus sapientiam multiformem, in Ecclesiæ πολιτεία, opus fuit vice supplementi, vt superaccederet multiplex, simulque varia Hominum conditio, cultus, gratitudo; vno verbo, status & obsequia diversissima. Aliundè verò palam fit neminem alteri similem comperiri in nativa indole, in gratiæ donis, in agendi ratione & modo. Quid ergò mirum, si ex monitu Augustini, Tabulisque Evangelij; in domo Patris celestis mansiones multæ, & variæ? Si per oppositos in speciem calles, itineraq; diversissima pergunt omnes, aliter tamen & aliter ad idemmet

bravium supernæ vocationis? Enimvero requirit à nobis præpotens DEVS æque & clemens, non quod congruum tantæ Majestati; quis enim sufficiat in creatis? Sed quod nostræ tenuitatis est & infirmitatis. Quare primæva scaturigo eius, quem mox dicebam, cultus in Religione diversissimi; hauriri debet ex ipso humanæ Naturæ sinu, per gratiam emendatæ. Quod in huncce modum enucleatur. GABRIELI.

III NATVRA Hominum cuique facultati motum peculiarem suum vnicuique cognitioni objectum, actioni demum cuilibet proprium characterem, indidit & impressit; vnde effingitur id quod formam, *spiritum*, seu vitæ genus appellamus. Nec aliter se habet gratiæ paratura. Esto enim Religiosi Cætus omnes ad vnum scopum collіment, vti nimirum qui DEO debetur cultus speciali veneratione exhibeatur. Cuique nihilominus sigillatim sua forma est, *propriumque institutum*, ac vitæ ratio; quâ à ceteris passim discriminatus, in se seorsim constituitur.

Quod totum pendet à naturæ, & gra-
REVEREN. tiæ varietate; iuxta Providentiæ decreta distinctæ, ac temperatæ.

Id verò, quò luculentiùs concipiatur, iuvat varias vtiquè *Disciplinas* ex diversis in Homine facultatibus admetiri. Nam sublimissima, subtilissimaque contemplatio pertinet ad apicem mentis, καὶ τῦ ἀκρότητα; concordat sapientia augustior cum animi temperatura, scientia cum ratiocinio, amor cum affectu: virtus, vitaque actuosior cum Imaginatrice & sensibus habet affinitatem. Quæ si nucleatiùs placeret evolvere, raram vtiquè peritiam naturæ, gratiæ, scientiæ, prudentiæ ingenerarent. Sed redeo; aioque quidquid Carmelitici est Instituti, eo nimirum in latifundio feliciter inveniri.

IV Et verò geminatus Eliæ in Eliseo, Posterisque Spiritus, forma vivendique ratio & methodus, quâ nostra ab omnibus alijs Societas animatur; quantùm capio, sic se habet. *Duplicem* cernimus à magnorum Parentum hæ-

reditate; ab Elia & Eliſeo; Spiritum.
Oro, dicebat primus ille Candidatus, GABRIELI
oro Pater, vt fiat me duplex Spiritus tuus. Primarius, ac princeps intùs latens, pietas ſolida æquè & intima eſt; quâ Deo per myſticam vnionem debemus adhærere, vt cum eo vnus ſpiritus evadamus. Secundarius, totum vitæ noſtræ cultum foris ornat; hinc conſtanti firmitate, conſtantiâque firmiſſimâ: ac ſingulari ſemper modeſtiâ, & ſuavitate conditis. Qualis ſiquidem radix, tales & rami: debetque vita omnis exterior interioris guſtum, ſaporem, colorem, tenorem per omnia repræſentare. Quare vniverſa hęc qnantulacumque eſt Didaſcalia, noſtro vivendi Inſtituto debet eſſe ſimillima. Sic vt *Carmelita* minimè ſit, quin primò elevetur longè ſupra perturbationes partis animalis: ſupra imaginationis, & Memoriç φαντάσματα; ſupraque mentis per Scientiarum, etiam per Fidei ænigmata ſpeculantis ratiocinia. Quanquàm ſupponenda ſemper vitæ huius per virtutes tam acquiſi-

tas, quàm infusas activæ, solida fundamenta. Alioquin ædificium molimur, mox ac miserè collapsurum. His ita comparatis, proximè eminet Carmelitici Instituti, τὸ ἡγεμόνικον καὶ χαρακτηρίστικον. Forma, in quam, individua, primarius genius, indoles propria.

REVER. V

ORDIAMVR ab animi cogitationibus. Has Sancti-Spiritus aura, nec-non gratiæ vigor crassiori contagio defæcatas, sublimes agit versus apicem mentis; vbi sacro velut in termino purissimè, suavissimèque conquiescunt. Inde paulatim, & natiuo per gradus descensu, inclinantur pari splendore ac vigore in simplicem Intelligentiam, vbi in propria velut officina, frequentiùs exercentur. Abhinc moderatissimè fluunt in rationem ipsam tum quà naturalis est humanis Disciplinis instructa, tùm quà Fidei Christianę splendoribus illustrata. Immò & interdum, raro tamen, parciùsque effundunt se divinæ id genus notitiæ in imaginationem ipsam, passiones, sensus. Quæ duo vltima vsus efficit Scientiarum (sive

acquisitæ sint, sivè infusæ) axiomatum, Historiarum, exemplorum. Dummodo quæcumque illa variè cogitant; rara sint, subtilia, illustria. Ex eaque parte animis obversentur, quà procul à materia, fæce, spissitudine, crassitie; ad apicem mentis propiùs, & propriùs accedunt. GABRIELI

IV Eum scilicet in modum purioribus radijs mens illustrata, sui deinceps generis *affectus* gignit in voluntate. Medio, inquam, veluti statu; qui nec speculatione nimia evanescant, nec spissiori sensu incrassentur. Absunt æquè à profusa dilatatione, à metaphora, allegorijs. Toti nimirum solidi, sinceri, puri, viscerales, & ex immò pectore; verbo absolvendum, penitùs mystici. Quippe qui medullitùs nascuntur in adyto animæ, ac penetrali; inter centrum illius occultissimum (fundum animæ vocant) & rationis promptuarium, varios motus cientis. Ceterum vtriq; cogitationum, & affectuum methodo concolor, conformisque esse debet; quidquid in Carmeli-

tæ vita ad hanc *rubricam* castigatissimà dicitur, agitur, studetur, exercetur, perpetratur. Qui aliter vivit, audeo dicere nostrę vocationis numeros haud implet. Christianus esse potest, Elianus esse non potest: Religiosus fortè est, benè formatus Carmelita certè non est.

VI Ad hanc porro amussim & libellam exigere conati sunt Nostri, qualemcumque pro Reformatis Conventibus *μυςαγωγίαν*, *Directorium* cum vulgo nuncupamus. Operis propositum est, vt præmonui, vitam Carmelitæ cuiusvis, secundùm proprij leges Instituti sanctiùs efformare. Ideòque per omnia vitæ domi, forisque munera & officia vnius, ejusdemque genij lineas circumducimus: aquam de nostro puteo bibimus, & vndiquè derivamus; succensoque intra nos igne, quod edicit Isaias, lucere simul & ardere in nostram perfectionē, in aliorum juvamen allaboramus. Materia consequēter vt sit idonea, selecta est, pura-puta, acutior, subtiliorque; vbi præsertim,

latiora Iuniorum rudimenta evasimus. Verba similiter nativa, tersa: stylusque in totum planus, perspicax, dilucidus, temperatus. Quod reliquum est, REVERENDE ADMODVM PATER, Vos qui & ipsi *primitias Spiritus* habetis; efficite vos oro, obtestorque, vestris precationibus, vt *det* DEVS *his quoque finem*. LVTET. PARIS. KAL. AVG. AN. MDCXLVII. GABRIELI

R. ADMODVM P.

SEBASTIANO

AB ALEXANDRO,

IN ORDINE CARMELITARVM

Assistenti Generali.

HAllucinantur crede mihi, REVERENDE ADMODVM PATER, qui hoc ævo alij hostes, alij invidi; Asceti- QVAE STVDIA CARMELITIS PRAECIP. EXCOLEN. VII

REVEREN- cæ vitę Cultoribus Doctrinarum ſtudijs ſimul & muneribus Eccleſiaſticis, haud aliter quàm igni & aqua clamant interdictum! Scimus equidem, Divo præeunte Hieronymo, *Monachi officium eſſe non docere, ſed lugere*. Nec aliam illius *Philoſophiam* pleriſq; agnoſci, *quàm ſimplicitatem*. *Plus illi operæ ponendum in vitijs extirpandis, quàm in Libris evolvendis*; adeò vt *Scientia ſufficiat benè, beateque vivendi*. Neque inficias imus abs tumido Scientiarum flatu, diſiecta iacere paſſim ſanctiſſima Monaſtices Inſtituta: timendumque vehementer cuilibet Reformationi ab illa altitudine diei, Dœmonioque meridiano. Sedenim ea ſeveritate pravum dumtaxat *vſum*, exceſſum-ve prohiberi; evidentius eſt, quàm vt egeat probatione. Hæc enim, ſancta ſcilicet, facere debemus: illa verò, ſtudia nimirum, nequaquàm omittere. Ipſimet Hieronymus, Baſilius, Nazianzenus Chryſoſtomus, aliique Eremi Cultores famoſiſſimi; quid de ſcientiarum Diſciplinis noſtris hominibus ſentiendum

ſit, ſuo palam exemplo declararunt.

SEBASTIAN. AB ALEX. VIII

Revera decederet multùm opulentiſſimis Eccleſiæ gazis, ſi nil habuiſſent Solitudines niſi ignarum & barbarum. Fueruntque ſemper ab omni ævo Monaſteria, velut promptuaria omnis & ſanctimoniæ, & eruditionis, & antiquæ in Eccleſia Diſciplinæ. Vt facilè dici nequeat, quid potiſſimùm ſacris illis tùm Ædibus, tùm Æditui Chriſtianitas debeat. Ergò ipſi nos damnamus Studia Scientiarum, vbi fiunt corruptiones morum. Vbi doctrinæ faſtigia, ſubvertunt humilitatis fundamẽta. Vbi ſcientiarum Academia, ruina eſt regularis Diſciplinæ. Vbi dicitur pulchrè, vivitur malè, Vbi λόγος ἐν σοφίᾳ, καὶ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, Christi Crucem evacuat. Sed ſi arbos illa Scientiæ non attingitur, non carpitur, non guſtatur niſi ex Dei præcepto; quorſùm precor clamitare increpare, obſtrigillare? Demus fortè priſcos Eremitas, ἀναλφαβήτοις καὶ ἀμούσοις, ipſis Diſciplinarum liminibus prohiberi. At ex quo Eccleſiæ ſupre-

REVEREN. ma autoritate Monachiſmo adiunctus eſt Clericatus; qua fronte, qua-ve conſciẽtiâ neſcio-qui Novatores à corde, & ore Sacerdotum Scientiam deſpuunt; quâm illorum labiis cuſtodiri, Sacræ Paginæ conteſtantur? Longè alia mens Doctoris verè Angelici, qui de gradu & ad lineam dimicans in hacce arena, accerrimè evincit adeò non excludi Monachos à ſtudio Literarum; vt illis *maximè docere, & ſtudere competat*. Vlteriùs progrediuntur Scriptores haud inficeti, dum exertè aſſeverant; *Reformatos non diu manſuros, niſi ſtudium apud ſe reſuſcitent: lectioniſque negligentiam, Monachos plures collocare in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi*.

IX Rationes in promptu quamplurimę. Ignorantia audit pridem omnium carnifex virtutum, quidni ergò & ipſa à ſtrenuiſſimis Clauſtri, CHRISTIque militibus juguletur? Studioſitas virtutibus annumeratur, ergo ſtudioſiùs excolenda virtutum omnium Candidatis. Eruditio, illa Iacobi ſcala eſt; cujus gradus evehũt ad notitiam DEI

cunctorum faſtigio inſidentis. Sapienter propterea Ephrem ille Syrus; *Initium bonæ vitæ Monachi, eſt cognitio* DEI: *ignorantia autem de* DEO, *Monachi mentem excæcat*. Plura ne addam, jubemur ſine intermiſſione orare. Porro qui ſtudet, vt par eſt, orat. SEBAST. AB ALEX.

Tria demum in Clauſtris oppidò neceſſaria, ſuadent Priſci Patres; *ſilentium ſervare, ſecularem convictum evitare, otium diffugere*. Atquin amant ſeceſſum & otia Muſæ, Virgines ſcilicet montium & ſolitudinum accolæ. Quod ſi Homines nihil agendo, malè agere diſcũt, ſtudentium otia, multùm ſemper habent negotii: nec animum facilè quatit tentatio, quem ſemper Cacodæmon ex noſtræ Regulæ præſcripto, invenit occupatiſſimum. Quicquam-ne verò Monachum magis ab inani vagatione ſeculique conſortio retinet, intra cellam allicit & claudit, colligitque mẽtem à periculoſis; quàm honeſta cupido addiſcendi quę natura, quę gratia, quæ ſeculorum ſeries, quæ divinæ ſimul & humanæ Diſciplinæ ſuo

ambitu, & ſinu complectuntur? Taceo ipſius Religionis decus, immo & firmamentum. Cùm nulla penè ſit domi autoritas, foris exiſtimatio; niſi illorum, aut per illos qui præcipuis pollent doctrinæ ornamentis. Et quæ tandem major in Eccleſiam vtilitas, quàm ex animarum converſione, Hæreticorũ confutatione, Sacramentorum adminiſtratione, verbi divini per Conciones diſpenſatione? Quæ cuncta, ſi abſque Scientiarum apparatu poſſunt comparari; abeat, per me licet, doctrina omnis ad Indos & Garamantas. At ſi cœci cœcos ducunt, dubio procul cadent omnes in foveam. Verumenim ſolem illumino, dum plena manu rationes congero & argumenta. Abſolvam igitur hoc lemmate, ſeu corollario; *Studium opus Monachi eſt, ſecundùm virtutem peroptimum.*

X SED audio. Sciſcitaris, OPTIME PATER, *cuinam Studio* noſtri homines potiſſimùm debent inſudare? Breviter repono. Non alia tandem Scientia nobis debet eſſe in amoribus, quàm ex

Sacris Codicibus: Dei, Sanctorum, salutis, remissionis peccatorum. Petis specialiora, dicam quod docuit me experientia annorum complurium. Nolo *Carmelitam*, vt viuitur modò, rudem esse politioris Literaturæ. Volo in Linguis, Gentilitiæ simul & Latinæ peritum. Græcæ verò & Sacræ saltem vltra mediocritatem. Philosophiam callere cum Theologia Scholastica, ac Morali; minor laus est, quàm ignorasse vituperium. Historiæ, præsertim Ecclesiasticæ, tincturam capiat non leuem; quam colorabit hinc Geographiæ, indè Chronologiæ notitia paulò exactior. Patribus vtriusque ævi & idiomatis, dico præcipuis, vnà & Cōcilijs Generalibus; familiarē se præbeat conuictorem, contubernalē. Quisquis vocante Deo, idoneus est Novi-Testamenti Minister, gratiæ litet, & Eloquētiæ, sed sincerę sed solidę, sed masculę, virili, diuinæ; nefasque credat & piaculum ingens, adulterare verbum Dei.

SEBAST. AB ALEX.

Atenim super omnia *Scripturæ* Sacræ nocturna manu, diurnaque nî versen-

REVEREN. tur; pessimè agi reor, cum nostris Hominibus. Eccui amabo te, Mi PATER, alteri Disciplinæ convivitur meliùs, sanctiùs immoritur? Quid Plato, quid Aristotiles: quid Maro, quid Tullius; præ divini Spiritus scholâ, & beatâ Christi Academiâ? Aurea Hominum damnatorum placita; memoriæ imprimimus. Sermones DEI, γνώμας, oracula pectori non insculpemus? Quantus ea in materia Hieronymus, & ipse antri Betheleemici felix Inquilinus. *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Crebriùs lege, & disce quàm plurima. Tenentem te Codicem somnus obrepat, & cadentem faciem Pagina sancta suscipiat. Quid enim eruditione meliùs, quid suavius Disciplina, quid dulcius Domino?* Qui cibi, quæ mella sunt gratiora? Dulcia certè faucibus meis, vt olim Regijs, eloquia DEI mei super mel & favum, aurum & argentum. Doleo ego sanè vehementer, Christianos aliâ quam Scripturarum scientiâ erudiri. Indignorque vltra modum, Viros DEO sacros absimiles Bedæ Venerabili; qui

septen-

ſeptennis (ipſe de ſe perhibet) *Monaſterium ingreſſus, ibi tota vita meditandis Scripturis operam dedit : atque inter Obſervantiam Vitæ Regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut docere, aut ſcribere dulce habuit*. Præclarè, ita me DEVS amet ! Nam ecce & ſtudendi *Modum*, quod vnum reſtabat paucis abſolutum; *diſcere, docere, ſcribere*. Vrges verò facere me verſuram. Non abnuo, MI PATER, ſed accipe modò ſolutionem & liquidam, & plenariam. Meo nimirum pauper in ære, vadem offero ſcientiſſimum æquè & optimum Lezanam noſtrum; qui in ſua Regularium Reformatione, inter cetera hæc colligit è Patrũ theſauris, in eã ſanè rem opulẽtiſſimis. SEBAST. AB ALEX.

PRIMVM ſapere connitatur Monachus, ſed ad ſobrietatem. Ideò nuſquam reſpiciat in vanitates, & inſanias falſas. Scientias aio damnatas, aut periculoſas non ampliùs deguſtet; quàm ea (iuxta Pytagoræ ſymbolum) quibus cauda nigra eſt. Noſtra deinde *ſtudia*, & Bernardus eſt qui proloquitur, inſignis vtiquè Myſtago- XI

gus) *literatoria esse non debent, non cavillantia, non disputantia, non garrula: sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibusque consentientia. Quæ & si foris exercentur, intùs potiùs aguntur in spiritu mentis; vbi renovatur Homo, de die in diem.* Quippe (addit Bernardi Symmistes, si nō ipsemet) *vana, nugigerula, verbosa, contentiosa, curiosa, ambitiosa; etiam sanctum animum, vel iam perfectum dissipant, & corrumpunt.*

REVEREN-

Hinc videndum imprimis, quo quisque fine studijs operam navet. *Sunt namque,* prosequitur Bernardus, *qui scire volunt eo fine tantū vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant. v.c. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est.* Scopum igitur legitimum vnum idem Autor præfigit, sed in duos subdivisum: *ædificationem tuā, & proximi.*

His superadiungunt nonnulli studij quasi *pertinaciam* indesinentem, nihilo seciùs quàm orationis; vt Asceticæ Discipulis ex Anselmo,

A studijs Sacris tempora nulla vacent.

Quamquam sui ipsius interpres, rem congruentiùs sic explicat; SEBASTIAN AB ALEX.
Distinctisq; legant spatijs, operentur, & orent. Magnus præiverat Hieronymus; *Sic dies transeat, sic nox ineniat laborantem. orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Suavis iterum Bernardus; post lectionem monet esse orandum, *& si ad legendum accedas; non tam quæras scientiam, quàm saporẽ. Est enim Scriptura Sacra puteus Iacob, ex quo hauriuntur aquæ.* Id ipsum egregiè enucleat Doctor Seraphicus Bonaventura. *Lectio,* inquit, *dat materiam, & quasi semen bonæ cogitationis: oratio rigat, & ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam.* Pressiùs etiam & ad suetam inter nos praxim magis appositè, Sanctissimus ille Vincentius Fererrius. *Qui legit & studet, debet àd* CHRISTVM *reflectere; cum ipso loquendo, & ab ipso intelligentiam postulando. Sæpè dum actu studet, à libro debet ad horam oculos avertere: & oculis clausis, se in* CHRISTI *plagis abscondere, & iteratò se ad librum convertere. Etiam quandoque debet à studio surgere, & in Cælum flexis genibus aliquam ignitam oratio-*

nem, cum brevitate ad DEVM *fundere*.

REVEREN- PRAECLARAM profectò studendi *Methodum*, Summamque omnis doctrinæ excellentissimam. Haustam opinor tertio è celo, in quo eruditus divinus noster Paulus, reputabat se scire nihil nisi CHRISTVM, & hunc Crucifixum. Hîc nimirum Physica, Divinæ simul & Humanæ-naturæ consortio. Hîc Ethica, quando de plenitudine ejus virtutes omnes accepimus. Hîc Metaphysica, gratiârum ὑπερουσία. Hîc Logica, Rethoricaque; est siquidem Filius, Patris os & sermo, verbum & elocutio. Hîc nostra Theosophia, nostra demum omnis Encyclopędia. In ea desinamus, PATER AMANTISSIME, sed cũ Paulino ad suum adoptione Patrem Ausonium.

Nunc alia mentem vis agit maior Deus,
Aliosque mores postu at;
Sibi reposcens ab Homine munus suum,
Vivamus vt vitæ Patri.
Vacare vanis ocio aut negocio,
Et fabulosis litteris
Vetat, suis vt pareamus legibus:
Lucemque cernamus suam.

Quamvis Sophorum callida arsq; Rhetorũ, & SEBAST. AB ALEX.
Figmenta Vatum nubilent,
Qui corda falsis, atque vanis imbuunt:
Tantumque linguas instruunt,
Nihil adferentes vt salutem conferant,
Quod veritatem detegat.
Quid enim tenere vel bonum aut verũ queãt;
Qui non tenent summum caput,
Veri bonique fomitem, & fontem DEVM;
Quem nemo nisi in CHRISTO *videt.*

Ita nimirum studeamus, ita vivamus; vt in lumine naturæ & scientiæ, gratię simul & glorię lumen cernamus, videamus: necnon verbo Magni Hilarij *visione faciali* intueamur. IN VRBE IDIB. AVGVST. AN. MDCLX.

R. ADMOD. PATRI
ALBERTO,
AGENTI PROVINCIAE *Turonensis.* RESPONSIO XII

DE felici vestro in Vrbem adventu lætor plurimùm, gratiasque

egi DEO optimo quas potui maximas.
REVEREN. Quod commendatitię Epistolæ nō placuerunt, mihi quoque displicet. Provinciæ & Reformationis *negotia* à Rege & Principibus commendari, suetum & solemne est. Iungi ea cum Canonizatione illorum est qui scripserunt, quorum plerique Lutetiâ tunc procul aberant. Nec auditum vnquam tot Epistolas scribi debere, à Principibus præsertim & ad Principes, quot negotia commendantur. Non ostendi prudentia est quando renuit *: supprimi iniuria, mutari non erit difficile; vbi exemplar à vobis missum fuerit, & res Provinciæ erunt extra præiudicium. Factum innocentissimum ad prava consilia detorquere, suspicionem facit non oriri id ab ingenio, affectu, & justitia optimi. * Quidquid sit, paratissimus ego sum cæcam in omnibus obedientiam præstare. Vnum opto, Reverendissimum Generalem de rerum omnium veritate sincerè informari, tum voluntates illius & imperia nobis eadem sinceritate significari. Inveniet

me porro in omnibus obedientissimum. ALBERTO

Quoad Ordinis & *Prouinciæ* negotia, jussu Excellentissimi Nuncij scripsi iam *tria*, dumtaxat mihi in votis. I. Superioribus, quod feci semper, adhærere. II. Caducæ Reformationis restaurationem, pro viribus procurare. III. A dissidijs penitus, & à negotijs quantùm in me erit, abstinere. Ceterum si vestrâ operâ discutiuntur calumniæ & mendacia mendacissima, si sinceritas & libertas in Epistolis & negocijs restituuntur; omnia ad pacem facilè componi posse, minimè desperandum est. Aliorum negotium potiùs est, quàm meum; cui dat DEVS pro sua clementia in pietate, studijs, & suetis occupationibus portum & tranquillitatem. Regium Honorarium continuat. E Patronis vnum mors abstulit, Dominum Servienum. De vestro & nostro Illustrissimo Marescallo in defuncti locum substituendo fama volat, dubito an vera. Serenissimorum fratris & sororum Guisiorum pietas, & benevolen-

tia in dies augentur. De Legatione Romana nobis grata & commoda, durat rumor; cui apud me fides nulla. Negotia Provinciæ, Superioribus & Administris relinquo; cetera vestræ curæ, Reverendissimi zelo, Numinis Providentiæ. Vale interim, & age σὺν Θεῷ, animosè, religiosè, prosperè.

REVEREN.

LVTET. PARIS. X. KAL. MART. AN. MDCLIX.

REV. ADMODVM P.

MICHAELI A SANCTO-SPIRITV

MISSIONARIO APOSTOLICO,

Eidemque

Commissario Generali ad Eburones.

SVPERIOR RELIGIOS.

XIV

VITAM nonnullorum, in Ascetis præsertim, ceu ludum quendam providentiæ dudum non otiosè, sed summa cū reverentia contemplor. Tua,

MI PATER, fortè & mea habent nescio quid ejuſmodi; quod etiam animum delectet, dum obcęcat. Poſt nempè Studia, Lectiones Theologicas, Conciones; Romæ diu vixiſti non vna rerum ſorte, & facie. Cumque te vel quæſiviſſem Miſſionarium in Oriente, vel majoribus infulatum in Perſide; juſſu Eccleſiæ, & Ordinis audio Commiſſarium ad Eburones delegatum. Suborti mox veteribus tumultus novi exercuerunt zeli tui conſtantiam, quâ docuiſti non ſemper *eſſe molles in calamitate Mortalium animos.* Quia verò rogaſti onus ingens tantillis noſtris conſilijs ſublevari, & Sereniſſimus Princeps Elector, tuæ amicitiæ relatu, noſtram Latinitatem approbare non eſt dedignatus; quam noſtratibus præſcripſi olim *Superioris Religioſi Formulam*, hanc habes modò Eccleſiæ linguâ expreſſam. Crede ſi vtriſque inſtar libellæ fuerit, & amuſſis; & te Superiorem rectè imperaturum, & Subditos ſanctè vt, debent, obedituros. Ita voveo.

MICHAEL A S. SPIRIT.

LVTET. PARIS. IDIB. FEBR.

AN. MDCLIX.

REVER.

R. ADMODVM P.

ANDRAE A CASTRO,

MONTIS SANCTI

Provinciali.

RESPONS. XV

PERACTIS in Piceno agro officij tui Viſitationibus, Neapolim hoc æſtu incolumem acceſſiſſe tibi gratulor, gratiaſque ago ſoſpitatori DEO. Noſtrum verò Scientiæ-Humanæ Contextum, ex itinere defatigatiſſimo ceſſiſſe in genus aliquod levamenti, eſt quod gratuler mihi ipſi revera ſupra modum. Verùm tentari à te modeſtiam meam, violarique tuam à temet integritatem, liceat quæſo expoſtulare. Noſtrum quidem illud Opus fatemur ad omnia collimare, quæ vidit ingenij tui acies acutiſſima. Sed felices fuiſſe ſatis tantillos conatus noſtros, vt poſt

annos plusquam triginta ad metam pertingerent; nec debuisti, nec potuisti rescribere sine periculo judicij quod in te nemo nescit emendatissimum. ANDR. A CASTRO

XVI

VERUM est; studuimus non oscitanter indagini veritatis, hanc verò vnicam vbiquè latere existimavimus. Scientias omnes sibi redditas, recisis ab invicem mutuatis, aptavimns in corpus vnum, quod sermone non indecenti, convestire allaboravimus. Non averso Numine, nec ingratâ famâ successit. Sed quas illi & Sartori laudes accumulas nimis profusè, agis non justè, & quod tuis lucubrationibus justè deberetur. Quid possis delibavi, cùm audivi nuper in Capitulo nostro Romę *concionantem*. Ah! quàm tunc volupe fuit videri ab vniverso Ordine eximiā probitatis & eloquentiæ concordiam, à Reformatis nihil Scientiarum studio deperire: & sine titulis, quos in alijs veneramur, austerissimam Observantiam præstantissimis etiam scientijs sedulò operari. Vtrique porro incumbendum, MI ANDRAEA, quia hisce

columnis, quæ *mutuis stant auxilijs*, stat & tota Monastica in Claustris Disciplina.

XVII SIGILLAS Epistolam prece, quæ mihj instar erit imperij. Ita est, rogabo *Fagnanum* nostrum illum cæcum videntem, vestris rebus, nostrisque semper faventem; vt natæ vestræ in Sicilia Observantię, sobolem non invideat. Et si vt tam est auritus quàm minimè oculatus, me audire dignatur, & dignatur aliquando; habebis *Iuventutis* tyrociniũ quale à me procurari vt vestræ Provinciæ Patre, à te optari vt Provinciali dignissimo; justissimum est. Ita nobis faciat DEVS, & hæc addat. In VRBE PRID. KAL. AVG. AN. MDCLX.

ANDR. LAO

R. ADMOD. PATRI
ANDREAE LAO,
SAXONIAE PROVINCIALI,
Consultori, &c.

RESPONS. XIII

TVVS Roma discessus tam inopinus æstivos inter calores, non potuit nõn displicere plurimùm, quia valetudini tuæ timere jubebat amicitia. Hanc affectu adeò liberali obtulisti, etiam sponsore nostro Optimo Fagnano; vt tuâ subitò carere pręsentiâ, non potuerit non esse molestissimum. Quis etenim ditatus thesauro opulentissimo, eo mox spoliari patienter ferat? Absentiam mitigat tantisper, qua me dignatus es *Episto a*. Eoque magis quod durissimum iter molliori aëre, & penè favonio narras fuisse mitigatum. Sed quod aura Genuæ maritima com-

REVEREN- modum hoc tempore beneficium non continuaverit, condolemus; quippe & ipsi in Vrbe Leonem experimur torquentem, quia revera torrentem. Ægrè prorsus convenimus cum tanto æstu, dubitantque plures an licebit paulatim assuefieri. Verùm quid tantilla valetudo, vt curetur. Lutetiâ relictâ DEVM sequuti venimus huc, Ascetæ Carmelitano quævis terra patria est. Et qui me ad mortem vsque Virginis Ordini devovi, non tanti facio vivere; quanti Providentiæ Numinis parere, & nostræ Genti non deesse. Crescit in dies spes ingens *optimi regiminis*, quod tibi vnicè vidi in optatis. Et in hac præcipuè parte, consortem porro me habebis per omnia addictissimum. Tertius nempè nexus, qui ex sacris Tabulis nusquam abrumpitur. Alij duo jam strinxerant nodum mutuę, nec opinor quotidianæ necessitudinis. Occupas tu pridem cum laude, celeberrima quæque Italiæ hujus pulpita. Diuque opto non ampliùs cum Augustino Paulum, sed nostrum Lao audire concio-

nantem. Iam enim ego auditor tantùm, qui inter nos non planè elinguis, cogor hic tacere fermè ad infantiam. ANDR. LAƷ

XIX

QVIN verò datum à te mihi, quo & Lector frui possim te etiam absente. Illa intelligo tot super *Theologiam* Volumina, quibus satis grande elogium exurgit, statimque atque vasti cerebri tui fœtus esse intelliguntur. Eandem à nobis incudem tundi, iam publico despondit noster Scientiæ-Humanæ Contextus. Et favor quo hunc vidi Romæ à plerisque Iudicibus non inficetis, prolixè excipi; novo velut aculeo vrget ad alteram, eamque longè potiorem partem, vnà cum nostris Philocalijs & Analectis, faciendam publici iuris. Verùm vt aliorum benevolentiam promeretur, tuam anteà *censuram* expectat novus hic Scientiæ-Divinæ Contextus. Vt enim Theologica tractat more insueto, propeque insolenti; multò faciliùs manumittam, si priùs à te meretur non tam approbari, quàm castigari & emendari. Vale interim, & te vtrisque pulpitis serva. IN VRBE KAL. AVG. AN. MDCLX.

REVEREN-

R. ADMODVM P.

ANTONIO MARINARIO,

SAPIENTIAE LECTORI

Dignissimo.

ERVDITIO COMMENDATA XX

COTI à nobis Literas Humaniores dixisti sæpiùs à te laudari non parum, amari verò quamplurimum. Id verò cum facis, laudas profectò & amas teipsum; qui eiusmodi studijs operam navas, qualem pauci in Italia similes tui. In quo sanè summo tibi gratulandum opere reor; quod ita severiores Disciplinas cum istisce amœnitatibus maritas feliciter; vt relinquas in ambiguo non sine omnium admiratione, plus-ne tibi laudis pepererit Regina Scientiarum Theologia, quàm Latinitas perpolita & eloquentia ad vnguem castigata.

Vtro-

Vtroque elogio efflorere vidimus, quos nobis latinos *Sermones* varios legere non es dedignatus. Serioque iterum atque iterum hortamur, quod & fecimus tunc ſiincerè, ea vt-ne publico invideas & poſteritati. Magnum crede, MI MARINARI, pretiũ operę erit; ſi damus operã ne neſcio qui è Literatorũ ludo divinam noſtram Scientiam traducant ceu rudem inſcitiam, barbariemque ineptiſſimam. Apage! Licet nuſquam benè conveniat caſtæ virgini cum infami proſtibulo, eſt tamen quidam orationis cultus Theologo digniſſimus. Si horret frons pudica ad cincinnos & calamiſtros, ad fucum & ceruſam; Scientiam profectò Divinam decet ornatus ſaltem non abjectus, non vilis, non Sordidus. MARINAR.

Qvò magis miror hæc ornamenta apud vos, vt perhibes cum querela & lamentis, fermè in totum aut damnata, aut neglecta, aut certè admodum ignota. *Duplicem* ea in re, ſi non me fallit judicium, errorem deprehendo. Imminuitur, immo prorſus ablegatur totius XXX

doctrinæ & ἐγγυκλοπαιδίας commercium: si tollis os, linguam, sermonem quibus sibi invicem benè saltem honestè loquendo communicant. Abimus deinde procul à Sanctissimis *Patrum* & institutis, & exemplis. Ecclesiã vide Latinam, vide & Grecam. An-non Patres Ecclesiæ Basilij, Athanasij, Gregorij, Chrysostomi: Leones, Augustini, Ambrosij, Chrysologi paria faciunt, ne amplius dicam & dicere fas esset, cum Curtio, Demostene, Cicerone: cum Oratoribus, Poëtis, Historicis, qui famam seculorum meruere?

Sint igitur Scientiæ speculatrices primo quo debent apud nos loco, sed accedant & secundariæ in illarum decus & ornamentum. Neque committere deberet *Italia* hanc vt illi palmam eripiant Gallia, Belgium, Germania. Nam vt à Græcis vltra mare ad Latinos, ita à Latinis ad nos montes vltra, Doctrinas omnes transmigrasse consentiunt vniversi. Neque à me nunc appellantur priora illa tempora quibus æquè crevit Romanum Imperium

toga & ſago, ſtudijs & armis. Emarcidas vbique doctrinas venuſtiores, Arteſque Liberales ſcimus poſteriori ſeculo primùm Florentiæ in Etruria refloruiſſe; & emortuas revixiſſe in Academia Medicæa. Hodieque volitant per ora virûm celeberrima nomina, Sadoleti, Mirandulæ, Hermalai, Angeli, Ficini, Donati, Sabellici, Vgolini, Manutij, Picolominei, Corthesij, Rhodigini, Beroaldi, Giraldi, Criniti; aliorumque complurium, quos inter noſtrum etiam ſcimus nominatim Baptiſtam Mantuanum. MARINAR.

Vt nimirum intelligas, DOCTISSIME ET ERVDITISSIME MARINARI, te neque à pietatis thalamo, neque a Theologiæ thoro evagari, dum interdum divertis ad has noſtri Salomonis ancillas tam caſtas, quam pulchras, politas, venuſtas. Illa profecto debemus facere, ſed nec iſta omittere. Finio ergo in hoc verbo Evangelij, in iſtius veritate totus tuus. In Vrbe ipſo die S. Alberti, dum prudenter pro valetudine, tuſcularis. AN. MDCLX. XXVII

REVER.

R. ADMODVM P.
VINCENTIO IVSTO.

SALVS ET NEGOTIA INDICATA

XXIX

INTIMIS defixa præcordijs eximiæ integritatis tuæ, OPTIME PATER,& adversum me benevolentię recordatio; hanc à singulari observantia erga te mea,Epistolam impetrat. Non alia certè de causa,quàm vt Virum & Lezanæ nostro multis titulis approbatum,& ea commendatione, proprijsque meritis mihi charissimum amica salute conveniam: & novo semper affectu,nostra tibi amicitia oppignerretur .

RES vtriusque Status vbiquè turbatissimas est sanè quod doleant probi omnes ; nec carent nostra Monastica ejusmodi motibus turbulentis . Grave profectò est tam præclarè cæpta in augmentum Reformationis , quam ita de amas,palã infringi ac pessundari;ex quo maximè*statim post Nn.in diversa itinera alieno astu abripitur . Optima quæque dilabi videmus vbiquè Gal-

liarum, & lugemus. Sileo tamen à bonis, ne graviores tumultus excitentur. Interim contentus monere optimum, & zelantissimum Lezanam; tum vt certior fiat quonam loco sint negotia Ordinis, hoc est pessimo. Tum vt si quid ad vestras aures allabitur, sciat me agere saltem cum prudentia & modestia: quam maior fortè zelus, nimiam arguerit. Scit vestra pietas quis & quàm sincerus fuerit amor meus erga partim Ecclesiam, partim Ordinem. Id testantur viginti quinque anni & ampliùs per Dei misericordiam non impigrè, aut infeliciter in vtriusque servitijs impensi. Fortè meliora tempora Numen superinducet. Interea virtutis, ac doctrinæ studia semper pro virili premo: amicorum consortio, quantùm fas est inter tristia, lætissimo fruor. Numenque efflictim rogo vt de Reformatione *Italica* semper cogitetis quæ recta sunt, & vestros annos gratiarum omnium cumulo magis ac magis illustret. Ita voveo, Lutet. Paris. Kal. Iun. an. MDCLI.

IVSTO

EPISTOLARVM
Selectarum
NOMENCLATVRA.

EMINENTISS. CARD. *Carolo Barberino, Dedicatoria.*
Ad Lectorem Præfatiuncula.
Cenſura Eccleſ. & Ordin. cum privileg.

S. D. N. VRBANO *VIII. de ſua Poëſi Chriſtiana.* *pag.* 1
INNOCENTIO *PP. X. Inſtructio* Catholica. *pag.* 5. *Ad eumdem, Commendatio duplex.* 7
ALEXANDRO *PP. VII. Franc. Saleſ. Canonizat.* 8
EMINENTISS. *Principi Cardin. Franciſco* Barberino, *Artis Poeticæ adumbrat,* p. 10
ad eumdem, ſupplicatio. 12
E. P. Antonio *Cardi. Barberino, Philocalia, & Analecta,* 14
E. P. Panphilio, *Gratitudo,* 22
E. P. *Cardinali Flavio* Chiſio, *Libum Concion.* 24

E. C. IOANNI *Millino, de Vestibus sacris, & Monasticis*, 27
E. C. *Ioanni Armando* Duci Richelio, *Pro vindic. Ioan. XLIV. Hierosolym. pag.* 32. *Ad Eumdem scripta tria examinata* 39
E. C. Alphonso *Richelio, Ethica Christiana*, *pag.* 70
E. C. *Guidoni* Bentivolo, *Salus*, 76
E. C. *Martio* Ginetti, *Delineat. Carmel. Observ. Rhed. p.* 80. *Ad Eumdem, Gratiarum actio, p.* 83. *Ad eumdem, Carmelitica*, 85
E. C. *Aloysio* Caponio, *Formula Cōtrov. p.* 87 *Ad Eumdem, Commendatio*, 91
E. C. *Bernardino* Spadæ, *Gratitudo & Philosoph. p.* 92. *Ad Eumdem, Commendatio, p.* 101. *Ad Eumdem, Commendatio altera pag.* 102
E. C. *Hieronymo* Grimaldo. *Domn. Durand. Abbat.* de Corpore & *Sanguine Domini liber*, 103
E. C. *Francisco* Cherubino. *Annus novus, pag.* 108. *Ad Eumdem iam Cardinalem de suo* Cardinal. *pag.* 109. *Ad Eumdem, Annus novus, p.* 113. *Ad eumdem, Annus novus, p.* 114. *Ad eumdem, Salutat. & varia, pag.* 118. *Ad Eumd. Conversio ad fidem. pag.* 120
E. C. *Hieronymo* Farnesio, *Archiep. Patrac. Indicat. Theol. Canonic. p.* 122. *Ad Eumd. Clades publica*, 129. *Ad Eumdem*, 131

S. P. *Electori* Coloniensi *Archiep. Missio pro Reformat.* 133
E.P. *Electori* Trevirorum *Archiep. de propos. Reformat.* 137
E. P. *Virginio* Vrsino, *Annus novus*, 140
E. C. *Io. Baptistæ* Pallotto, *Salus & Commendat.* 142
E. C. *Michaeli* Mazarino, *Rerum status*, 145
S. P. C. *Reinaldo* Estensi, *pro Provinc. Turon.* 146
E. C. *Marcello* Sancta-Crucio, *pro Provinc. Turon.* 148
E. C. *Iulio* Rospigliosô, *Elog.* 151
E. C. *Iacobo* Corrado, CHRISTVS *vera Encyclop.* 154
E. C. *Sforzæ* Pallavicino, *Gratiar. act.* 160
E. C. *Federico* Sforzæ, *Anton. Yvan.* 165
S.P. *Armando* Borbonio *P. de Conty*, 167


I. FRANCISCO Champvalonio *Rhotomagensi Archiep. de suo Musar. solat.* 171
I. *Carolo* Monchallo *Archiepisc. Tholosano, Præscriptio adversus Hæret.* 176
I. *Archiep.* Firmano, *pro Hybern.* 180
I. *Io. Franc.* Paulo Gondio *Sedis Parisiensis Coadiutori Archiepiscopo, Idea viventis & mortuæ Biblioth.* 184
I. *Petro* de Marca *Archiep. Tholosano, Sacra Montis-Mart. Monum.* 197
I. N. Picolominæo *Archiepiscopo Cæsariensi,*

Nuncio Apostolico, 200
I. *N*. Fuilladæo *Archiep. Ebrodunensi Commend. duplex*. 203

I. LVDOVICO Crespi-Borgia, *Episcopo Palentino, Conceptio Immaculata*, 205
I. *P*. Cornulliero *Ecclesiæ Rhedon. Episcopo, Vita B. Soreth*. 215
I. *Henr. Lud*. Castanæo Rupi-pozæo *Episc. Pictaviensi, Quatuor Evang. Concent. vnic. pag*. 221
I. *Rainutio* Scotti *Episcopo Nuncio Apostolico Gratitud*. 223
I. *Petro* de Broc *Antisiodorensi Episcopo, Specim. critic. Autores legendi*. 227
I. *Dionysio* Cohonio *Dolensi Episcopo, Rhetor. Triplex*. 230

I. PROSPERO Fagnano *illuminatissimo nostri seculi Dydimo. Elog. cæcit. p*. 235. *Ad Eumd. Negot. Reformat. p*. 240. *Ad Eumd. Negot. Carmel. & Gratitud. p*. 242. *Ad Eumd. Negot. Carmel*. 245
I. *A*. Maraldo. *Constit. violat*. 247
I. *Abbati* Tintio, *Ann. nov*. 251
I. *D. Mario* Albericio. *Consecrat. Episcopor. Oriental*. 253
I. *Cæsari* Raspono, *Inscript. & Elog*. 270
I. *Carolo Emmanueli* Vizzanio, *Epist. pacific. pag*. 273

I. *Ludovico* Bourlemontio, *Elegant. Gallic. Idiomat.* 278
I. *Matthæo* Mangotio *Abbati San-Columbæo, Encom. parænet.* 281
I. *Io. Baptiſtæ* de Contes, *Subrog. Carmel. in Convent. Billet Pariſ.* 288
I. *N.* Caſali *An. nov.* 291
I. *Andr.* Sauſſayo, *de ſuo Martyrolog. Gallic. pag.* 293
I. *Caſſiano* Puteano, *Mathemat.* 297
I. *P.* Chapellatio *Theologo Pariſienſi, Libror Approb.* 302
I. *N.* Amioto, *Iter Roman.* 307
I. *Abbati Michaeli* Iuſtiniano, *Reſponſ.* 311
I. *Elpidio* Benedetti, *Mauſol. E. C. Mazarini,* 315
E. P. C. Antonio Barberino, *Elog. Funebr. E. C. Mazarini,* 317



EPISTOLARVM
Titulus Secundus
Ad Proceres & Eruditos seculi.

LVDOVICO *XIII. Regi Galliarum Christianissimo, Energum. Iuliodun.* *pag.* 3. *Galliarum Regi Christianiss.* Ludovico XIV. *Anni Regij Conciones.* 20
S. P. Philippo *Duci Aurelianensi, Idea Scientiarum,* 31
Augusta Svecorum Reginæ Christinæ-Mariæ-Alexandræ, *Salus,* 40
Magno Etruriæ Principi *Serenissimo, felicem Hymeneum, Vita B.M.Magd. Pazianæ,* 46
S.P. Henrico à Lotharingia Duci Guisio, *Memorabilia nova & vetera,* 49
S.P.N. Responsum, 52
Amplissimo Petro Seguierio *Franciæ* Cancellario, *Medulla Sapientiæ, p.* 54. *Ad Eumdem, Deus infans,* 57
Inclyto Carolo Albaspinæo, *Franciæ Procancellario, Hostia paris miraculosa,* 62
Integerrimo D. Matthæo Molæo, *Præmess.*

Encyclop. 7
Eximio Comiti Briennæo Lomenio, *Histor. Chronol. Classis sextuplex,* 8
Ill. Antonio Nicolao, ΕΥΚΑΡΙΣΤΙΚΟΝ *pag.* 89. *Ad Eumdem, versus,* 91
Illm. Henrico Memmio, *Missus de ordine rerum ac Scientiarum,* 94
Ill. Nicolao Bailleullo *Præsidi, Ethica Arist. pag.* 110
Ill. Ioanni Berterio, ΕΥΚΑΡΙΣΤΙΚΟΝ, *pag.* 120
CL. *Hieronymo* Bignonio, *Geneal. Theolog. Christ.* 123
CL. *Chariss.* Laniero; *Carmel. Restit. & Lutet. Institut.* 127
CL. *V*, *Gilberto* Golmino, *Sapientiæ universalis partitio,* 130
CL. *V. Colanio, de reverentia Matrim.* 135
CL. *Guidoni* Poterio, *Libum secretior. Philosoph.* 140
Ill. de Belloquercu, *propagatio Fidei, pag.* 145
CL. *V. Flavio Francisco* Hautserio, *de suis notis ad Fulgent. & Crescon. p.* 148. *Ad Eumdem, versus,* 150
CL. *V. Scevolæ* Sam-marthano, *Consol. in morte Patris,* 151
CL. *V. Ioanni* Courtino, *Tertull.* 155
CL. *V. Duci Parmensi à Secretis, Methol. idiomatica,* 159

Generosissimo N. Armando à Porta, *Exempla Oratoria*, 163

CL.V.C.Venasquio Ferriolo, *Principi Monachensi Theolog. Mythologi-poetica*, 166

Nicolao de Botru *Comitis Nogentij filijs*, *Alphab. Philosoph. Christianæ*, 170

CL. V. D. Du-Burgo, *Promulsis* Medicinæ, *pag.* 184

CL. V. Iacobo Albano Gibesio *Britanno*, *Lucubration.* 194

Nobil. & Erud. N. suæ apud Batavos *Theolog. Professori, de realitate* Corporis *& Sanguinis Domini*, 197



EPISTOLARUM
Titulus Tertius

Ad vitæ Asceticæ Cultores.

Religiosissimæ Franciscæ Renatæ a Lotharingia Guisiæ, *Vita I. Chrs. Breviculum*, 227
Reverendiss. D. Petro Romano Abbati Sublaquensi *Benedictino*, *Spec. Benedict. Sublaquen.* 234
R.D. Ioanni Bona *à Monte Regali*, *Perfectionis summula*, 238
R. P. *D. Clementi* Tosio *Abbati Silvestrino*, *Scripta & Orat. funebr.* 241
R. P. Io. Paulo Oliva, *Annus Regius*, 243
Theophilo Raynaudo, *Fœdus* Parthen. Carmel. 246
R. P. *Dominico* de Luca, *Eloquentia Christiana*, 250
R. P. *Augustino* Gallecio, *Alexand. Saulius.* pag. 252

R. Definitorio, *ceterisque &c.* P. *Ioannis Sorethij Expositio in Regulam* Carmel. 255
R. P. *Gregorio* Canalio, *Observat.* Carmel. *Rhedon. Brevis relatio*, 264

R. P. *Theodoro* Stratio, *Conſt. Reform.* 275
Ad Eumdem, Provinc. *negot. potior.* 285
R. P. *Leoni* Bonfilio, *Reſcriptio,* 292
R. P. *Hyppolito* Seiſoldi, *Miſſiones & Reformatio,* 296
R. P. *Mario* Venturino, *Provincialatus Terræ Sanctæ,* 301
R. P. Matthæo Orlando, *Gratulatio,* 305
R. P. *Io. Baptiſtæ* de Lezzana, *Synopſis Hiſtor. Carmel.* 306
R. p. *Io.* Philippino, *Reditus in Gall.* 323
R. P. *Angelo* Chiappano, A*micitia,* 326
R. P. Petro Vvaſtellio, *De ſuis Vindicijs Ioann. LXIV,* 330
R. P. N*icolao* Dambrovoſchi, Pe*titis ſatisfit. pag.* 334
R. P. Iulio Cæſari Medicæo, *De vera* Re*formatione inſtituenda,* 336
R. P. Gabrieli *Carmel. Reform. Myſtag.* 350
R. P. Sebaſtiano ab Alexandro, *Quæ ſtudia Carmel. præcip. excolen.* 361
R. P. Alberto, *Reſponſio,* 373
R. *P. Michaeli à* Sancto-Spiritu, *Superior Religioſ.* 376
R. P. *Andreæ* à Caſtro, *Reſponſio,* 378
R. P. *Andreæ* Lao, *Reſponſio.* 381
R. P. Antonio Marinario, *Eruditio Commendata,* 384
R. P. *Vincentio* Iuſto, *Optime Pater, ſalus & negotia inditiata,* 388